



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Heac quae sequitur oratio nunquam hactenus vel Graecè vel Latinè  
impressa est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

Hæc quæ sequitur oratio nunquam  
hactenus vel Græcè vel Latine im-  
pressa est.

PRAEFATIO IN ORATIO-  
NEM DE LAVDIBVS CON-  
stantini Magni.

**C**AUSAM mihi in hunc locum veniendi, amici &  
sacerdotes Dei, non fuit illa quidem vt fabularum  
commentis, aut sermonis elegantia ad auras capi-  
endas conquisita, tanquam suavi Syrenum cantu vestros  
animos permulcerem, aut vt aureis poculis, vti poeticè lo-  
quar, id est, nitidis orationis flosculis concinna verborum  
structura collustratis, voluptatis lenocinia his, qui eiusmodi  
rebus oblectantur, proponerem, sed partim vti vos qui  
sapientum consilio inducti, sancti Dei verbi ministri estis,  
commonerem in concionando, vt tum à tritis illis rhe-  
torum vjs deflectatis declinetisq, tum sedulo caueatis, ne  
vestrum sermonem ad imperitæ multitudinis accommo-  
detis arbitriū, partim vt nouo orationis genere apud vos  
imperatoris laudes percelebrarem. Et quanquam infiniti  
ferè alij idem ipsum iter ad eius virtutes prædicandas  
mecum ire contendunt, ego tamen hominum vestigia vi-  
tans, viam inusitatam ac minimè tritam insistam, quam  
quidem illotis pedibus ingredi nefas est, vt alij populare  
dicendi genus, & puerilibus argutjs confertum conse-  
ctantes, lepidamq, orationis amplectentes concinnitatem,  
mortalium aures narrationibus de rebus mortalibus &  
caducis institutis decliniant, primasq, deferant voluptati:  
ipsius tamen sapientia, quæ per omnia manat ac fundi-  
tur, professores, vt pote diuinarum humanarumq, rerum  
scien-

scientiam consecuti, quoniam rei praestantioris delectum in boni loco numerant, idcirco diuinas imperatoris virtutes, & pia eius in Deum officia, longè illis, quæ erga homines præstitit, anteponunt, resq; eas, quæ secundas obtinent in bonis, secundæ classis rhetoribus prædicandi, faciunt potestatem. Itaque cum sapientia quæ in imperatoris animo insita est, in rerum tam diuinarum quam humanarum cognitione cernatur, atque illæ videntur ad Deum, hæ autem ad homines spectare, hi qui extra sacrarum literarum quasi ambitus consistunt, rerum humanarum ad imperatoris laudes pertinentium prædicationem, modò sint ad illud munus idonei, sibi tractandam sumant: quæ quanquam & splendoris excellentiaq; plurimum, & fructus utilitatisq; non minus (omnia enim, quæ in imperatore cernuntur, sunt planè eximia) in se complectuntur, tamen diuinis illis virtutibus, quibus mens eius imbuta est, sunt longe inferiores. Qui autem in sacrosanctos diuini eloqui cancellos intrarint, eiusdemq; adyta fuerint, & inaccessa penetralia ingressi, hi quasi portas illius profanis auribus ocludentes, arcanas imperatoris imitationes, istarum rerum duntaxat professoribus explicare aggrediantur. Qui porro aures pietatis rimulis perpurgatas, & intelligentiam, aeris, ut ita dicam, ipsius animi alis habeant in sublimi defixam, in laudibus summi omnium regis & moderatoris celebrandis insistant, tacitiq; diuina mysteria obeant. Nos verd ex vatum oraculis, quæ diuini spiritus sancti luminis ædita sunt, non autem ex illis quæ à diuinatione, ne dicant dementi insania, profecta sunt, perfectorum mysteriorum, quæ traduntur de ipso cælesti regno, de imperatore omnium summo, de diuino satellitum agmine, quo summus ille imperator stipatus est, de vero & perfecto, deq; falso

Videntur  
rhetores  
intelligere, qui in  
studio solum  
humana  
nitatis  
versantur.

Ministros  
verbi &  
sacræ scri-  
pturæ præ-  
sesores  
intelligit

PRAEFATIO.

Specie solum adumbrato imperandi modo qui in terris  
existit, denique de his quae utrumque ordinem conse-  
quuntur, explicationem depromamus. Haec igitur ad  
istarum rerum decus illustrandum: pie sancteq,  
praefati, deinceps ad divina myste-  
ria explicanda aggre-  
diamur.

EVSE-

EVSEBII PAM-  
PHILI DE LAVDIBVS CON-  
STANTINI IMPERATORIS O-  
ratio, quam ad trigesimum annum  
Imperij eiusdem Con-  
stantini habuit.



ST quidem hic conuentus ad præ-  
potentem imperatorem laudibus or-  
nandum celebratus, in quo nos, qui  
imperatoris illius ministri sumus, sa-  
crarum literarum disciplinis diuini-  
tus afflati, gaudio & lætitia exulte-  
mus. Atq; ab illo ipso magno & præ-  
potenti imperatore nostri festi ducam-  
us exordium. Magnum illum equidem imperatorem vo-  
co, qui reuera magnus est, eumque intelligo (mihi ista dicen-  
ti imperator, qui præsto adest, minimè certò scio, vertet vi-  
tio, imò verò etiam sermonem de Deo institutum collauda-  
bit plurimum) eum inquam intelligo, qui vniuersitati præ-  
est, qui omnium summus est, qui celsissimus est, qui longe  
maximus est: cuius imperij sedes sunt caelestes globi, & terra  
scabellum pedum eius, quem nemo plenè cogitatione pro-  
pterea complecti poterit, quòd lumen inexplicabili radiorù  
splendore, ei circumfusum, quemque aciem mentis inten-  
dentem ab eius diuinitatis contemplatione depellit. Hunc  
caelestes exercitus, hunc stipant supremæ potestates, huc mo-  
deratorem dominum & imperatorem agnoscunt. Quin et-  
iam angelorum infinitæ multitudines, turbæ archangelorù  
& sanctorum spiriruum chori, ex illius claritatis radius, tan-  
quam ex perennibus luminis fontibus splendorem haurien-  
tes, collustrantur. Etiam luminaria omnia, quæ corporea  
sunt, diuina præterea & sacra luminarium corpore vacan-  
tium genera, quæ locum supra cæli verticem situm obtinēt,  
magnum hunc imperatorem eximiiis & diuinis hymnis ex-  
tollunt.

T c z

tollunt.

## EUSEBII ORATIO

tollunt. Istum immensum cælum, tanquam aulaeum ambit  
 caeruleum, eosque, qui sunt extra, ab interiore illius palatio  
 secludit. Circa hoc tanquam in palatii vestibulis faces ge-  
 stantia, voluntur, sol, luna, & cætera luminaria caelestia, quæ  
 vniuersitatis moderatori honorem impertiunt, ipsiusq; nu-  
 tu & præcepto, rebus, quæ locum tenebricosum occupant,  
 extra cælum collocatû, assiduam lucem porrigût. Istû mag-  
 num nostrû imperatoré, Christumq;, & ipsum etiâ victoriis  
 inclitum imperatorem nostrum, laudibus efferre cum con-  
 stituam, videor mihi eum prædicando præclarè admodum  
 facere, quippe cum illum solum authorem esse imperij, cui  
 nos subiecti sumus explore cognitum & perspectum ha-  
 beam. Istum quoque pij cæsares, imperatoris filij fontem o-  
 mnium bonorum (hoc namq; à patre didicerunt) ingenue  
 agnoscunt. Istum frequentes exercituum turbæ, ingentes  
 populorû multitudines, in singulis regionibus vrbibusque,  
 prouinciarumque etiam præsides conuentus celebrantes,  
 sanctè venerantur, ad eam rem à præclaro Reip. conseruato-  
 re, & magno Constantino perdocti. Porro autem vniuer-  
 sum simul hominum genus, gentes cuiusque generis, tribus  
 & linguæ, licet de aliis rebus in varias & discrepantes sen-  
 tentias distrahantur, in huius tamen laudis confessione v-  
 no ore, tum communiter, tum singulatim consentiunt: hûc-  
 que vnum & solum cogitationibus naturaliter insitis, & no-  
 tionibus quibusdam, quas sua spôte hauserint didicerintq;  
 impulsî, gloria & prædicatione extollunt. Quid? an non  
 hunc tota terræ moles dominum confitetur, germinibusque  
 & animalibus ex se editis obedientiam, quam ei ad maximã  
 rerum in ipsa procreatarum commoditatem præstare debet,  
 perspicuè declarat? Hunc rapidi fluminum decursus inun-  
 dantes torrentibus, hunc fontium perennium riuuli ex in-  
 finitis iugibusq; abyssis emanantes, diuinæ & admirabilis  
 fabricæ authorem profitentur. Hunc profundi maris gur-  
 gites immensa altitudine conclusi, abruptiq; fluctus in sub-  
 lime elati, nutuq; legis colligati diuinæ, qui cum ad ipsa lit-  
 tora conuoluuntur, terræ velut formidinem ineutiunt, ma-  
 gnopere exhorrescunt. Quin etiam modificata hyberno-  
 rum imbrium fluenta, sonori tonitruum fragores, ardentis  
 fulminum coruscationes, volubiles item ventorum impe-  
 tus,

etus, vagi per aerem nubium gressus, hunc illis, qui eum ipsum aspicere non possunt, quodammodo contemplandum proponunt. Sol præterea, cuius luce complentur vniuersa, quiq; diuturna seculorum spatia dimetitur, hunc solû dominum nouit, eiusq; voluntati inseruiens, nunquam extra cursus sui terminos, vestigium flectere audet. Luna quoque cuius lumen multo obscurius est, quàm solis, quæq; temporum conuersionibus crescit, decrefeitq;, diuinis legibus morem gerit. Adde his ornatum cæli cursibus astuorum illuminatum, ordineq; & concentu progredientem, suosq; obeuntem circulos, qui etiam, quasi voce emissâ, deum lucis cuiusque modi largitorem prædicat. Itemq; omnia cælestia luminaria, quæ eius nutu & voluntate vnum gignunt concentum, diurnorumq; seculorum conuersionibus perlongum cursum conficiunt, & in stadiis etheriis obeunt certamina, noctium etiam & dierum vicissitudines, temporumq; anniuersariorum mutationes, denique numerosi concentus & ordinés vniuersi, variam eius & multiplicem sapientiam celebrant. Illi porrò potestates ab oculis seclusæ, perq; liberam & patentem aeris planitiem, peruolitantes, debitam & decoram tribuunt venerationem. Illum igitur magnum Imperatorem mundus pariter vniversus laudibus exornat. Illum cæli sublimes, excelsiq; cælestium globorum chori, honorant, illum collaudant exercitus angelorum arcano hymnorum concentu. Spiritus ex diuino eius lumine facti, genitorem suum diuinis præconijs efferunt. Illum secula infinita, quæ hoc cælum, huncq; mundum sunt antegressa, aliq; interminata secula, perenni istorum seculorum ferie continuata, quæ ante rerum sub aspectum cadentium ortum extiterunt, solum ac præpotentem moderatorem & dominum agnoscunt. Illum etiam ipse æternus vnigenitus eius sermo, qui in omnibus, ante omnes, & post omnes existit, magnus magni Dei pontifex, omni tempore, omnibusque seculis antiquior, dignitatis paternæ particeps, primus ac solus pro omnium salute placauit. Qui tum primo honore in imperio huius vniuersitatis, tum æquali cum patre in regno paterno dignatus est. Nam ille lux est supra hanc rerum vniuersarum compagem sita, quæ & circa patrem meat, eiusq; speciem principio & ortu carentem à rerum mortalium

EVSEBII ORATIO

essentia diuidit, discluditque: & cælitus etiam ex diuinitate illa, quæ tum finis, tum initij expers est, emanans, extra profundit sese, atque locum supra cælum positum, aliaque omnia, quæ cæli complexus continent, multo excellentiore claritate, quàm quæ à sole porrigitur, collustrat, Ille Dei sermo hunc mundum suo nutu regit vniuersum: ille super omnes res, & per omnes, & in omnibus, siue oculis cernuntur illæ quidem, siue aspectum fugiunt, incedit. A quo, & per quem hic noster Deo charus Imperator cælestis imperij effigiem gerens, ad similitudinē Dei optimaximi omnium regionum in terra sitarum clauum tenet, easque gubernat. Ille vnigenitus Dei sermo à sempiternis seculis ad secula infinita interminataque; regni cum patre particeps est: hic noster perpetua amicitia illi coniunctus imperij gubernaculis cælitus demissis donatus, diuinæque confirmatus appellatione, multis annorum curriculis orbi terrarum præfuit. Quinctiam ille huius vniuersitatis conseruator totum cælum mundumque; , regnumque; cæleste, vt sit conueniens & decorum patri suo efficit, hic eius amicus, quotquot ex terræ incolis ipsius subiiciuntur imperio, ad vnigenitum Dei sermonem & seruatorē nostrum agnosendum adducit, ad regnumque; illius reddit idoneos. Ille communis omnium rerū propugnator potestates rebelles, quotquot altius à terra per aerem oberrantes hominum animos vitiorum laqueis aliquando solent irretire, diuina quadam virtute, quæ oculorum sensu percipi non potest, velut feras agrestes à suo grege, instar boni pastoris longissime fugat. Hic cum illo necessitudine iunctus, cælesti illius ope trophæis contra hostes statutis nobilitatus, apertos veritatis inimicos belli iure subigit, eosque; ad sanam mentem deducit. Ille sempiternus Dei sermo & patronus omniū semina salutaria, rationisque participia eius fidei initiatis suppedians, eos & sapientia cælesti & regni paterni sciētia imbuit: hic eius necessarius, tāquam Dei verbi vates, vniuersum hominum genus ad Dei cognitionem vocat, eam omnium inculcat auribus, claraque; voce cunctis terræ incolis synceræ religionis veritatisque; leges palam prædicat. Ille omnium defensor, cælestes regni paterni portas his, qui hinc in illum locū demigrant, patefacit: hic ardenti erga Deū amore accen-

BeoPhi  
215.



accensus, omnibus impij erroris sordibus ex hoc terrestri regno perpurgatis, sanctorum piorumque virorū choros in suum palatium accersit: vniuersam hominum frequentiam à se gubernatorum incolumen seruare studiose laborat: hūc conuentum hic solus ex omnibus, qui imperio Romano aliquando præfuerint, à Deo summo omnium imperatore ad triginta iam annorum spatium honore decoratus, non inferis manibus, veterum more, neque spectris dæmonum, homines in fraudem inducentium, neq; falsis diis aut simulachris in locis excelsis collocatis, quæ homines colebant impij, celebrat, sed vt ei, qui eum ad hunc honorem extulerit, quemque authorem agnoscat bonorum ipsi suppeditatorum, gratias agat: neque tamen exemplo veterum regiam suam sanguine polluit, neque fumo, igni, aut hostiis animalium, flammis penitus absumptorum, dæmones inferos placat, sed ipsi huius vniuersitatis moderatori gratiam, acceptamque victimam, suum ipsius videlicet regium animum, & mentem clarissimam consecrat. Nam illa sola victima Deo chara iucundaq; est, quam noster hic imperator synceris interioris mentis cogitationibus, ignis, sanguinisque expertibus, immolare didicerit, hoc est, vt veris opinionibus in animo insitis veram religionem propugnet, eximia prædicatione Dei gloriam illustret, regis officiis Dei imitetur benignitatem, seq; totū ei adijciat, & seipsum primitias mundi, cuius imperiū ipsi concreditum est, tāquam amplum quoddam munus offerat. Hoc igitur sacrificium omnium præstantissimū offert imperator, & tanquā bonus pastor, non celebres illas victimas ex agnis primogenitis confectas immolat, sed animas gregis rationis compotis, quem ipse pascit, ad Dei cognitionē verumq; eius cultum ducit. Deus tali oblectatus hostia, & munus lubens amplexus & sacerdotem, tam venerandi, tamq; illustris sacrificij largitorē honore profecutus, diuturna imperij ei concessit curricula: & quo eius sanctimoniam remuneraretur, pluribus amplioribusq; beneficiis illum affecit, deditq; potestatem varia festa celebrandi cū prospero & felici monarchiæ suæ successu. In singulis festis & conuentibus ad decimū quemq; annum vertentē celebratis, vnus ex filiis illius ad sedem imperij participandam à Deo designatus est, & velut plātæ florenti vi-

EVSEBII ORATIO

rentiq; temporū incrementa donata. Itaq; filius eius natu ma-  
 ximus, qui patris nomine est appellat<sup>o</sup>, primo regni decenio  
 cōfecto, socius imperij cū patre renuntiatus est. Qui autē ei  
 proximē accedebat aetate, anno vigesimo imperij ad eundē  
 honoris gradum sublatus. Tertius deinceps hoc trigesimo  
 anno, quo iam festum celebratur, eadem dignitate potitur.  
 Nunc verò si imperium eius ad annum quadragosimū pro-  
 pagetur, vt Dei nutu temporis spacium crescit, sic numero-  
 sa sobole imperium erit amplificatū: Cæsarumq; declarati-  
 one, prophetarum vaticinationes expletæ, quæ & iam pri-  
 dem, & olim sic palam prædicabant: & suscipient regnū san-  
 cti Dei altissimi. Ad hunc modum igitur & temporum & li-  
 berorum incrementa Deus summus omniū imperator huic  
 nostro sanctissimo imperatori est largitus, statumque eius  
 imperij, cui gentes totius orbis terrarum obsequuntur, per-  
 inde prosperum & florentem reddidit, ac si modò florere  
 inciperet. Quinetiam hunc conuentum eius causa curauit  
 celebrandum, eumq; victorem hostium & inimicorum om-  
 nium effecit: denique illum vtpote egregium veræ pietatis  
 exemplar, cunctis terræ incolis proposuit ad imitandum.  
 Hic claro Cæsarum filiorum suorū fulgore, velut radiis qui  
 busdā ex se longissime profusis, non aliter atque lumen so-  
 lis suo splendore solet, homines ingenti locorum interual-  
 lo disunctos illustrat. Itaque & nobis, qui orientem acco-  
 limus, suam ipsius præsentiam non sine maximo omniū cō-  
 modo largitus est, & alteri hominum generi versus occide-  
 tem vnum ex filiis præfecit, & alios duos in aliis locis, tan-  
 quam faces ac luminaria ex sua ipsius claritate diffusa collo-  
 cavit. Porro autem imperij quadrifariam dispertiti iugum  
 quasi quatuor equis, id est, sibi & tribus filiis cæsaribus for-  
 tissimis imponens, ipse eos diuini animorum consensus &  
 concordie frænis colligatos, cælitus moderatur: pariterque  
 vniuersum terræ orbem, quem sol videt, peragrat, & omni-  
 bus hominibus tanquam præsto adest, atque adeo res cun-  
 ctas quodammodo oculis lustrat. Quinetiam cælestis im-  
 perij gerit effigiem, oculosque in sublime tollens, homines  
 in hoc inferiore imperio ad exemplar primariæ illius im-  
 perij formæ gubernat, monarchæque principatum imita-  
 tione & exemplo cælestis confirmat imperii. Istam enim im-  
 compoe

peij formam lex, quæ rex omnium est, humano generi or-  
ben terræ incolenti tribuit: quippe hæc regiæ potestatis  
compos lex, vnum omnibus præscribit imperium. Atq; mo-  
narchia certe omnes alias rerumpub. species, & administra-  
tionis modos longe superat. Nam multiplex imperiû, quod  
ex hominibus honore & sensu paribus constat, quodq; cû  
monarchia ex aduerso pugnat, confusionis ac seditionis po-  
tius, quàm imperij nomen meretur. Quapropter & vnus  
Deus est, non duo, non tres, neque præterea plures (nam  
deorum introducere multitudinem est reuera Deum tolle-  
re) sic vnus omnium rex & imperator, vnum illius verbum,  
& regia lex: vna, quæ non verbis exprimitur & syllabis, ne-  
que qualis in picturis & columellis descripta, temporis lon-  
ginitate consumitur, sed viuit & viget perpetuò, vtpote  
quæ nihil aliud sit, quàm Dei sermo, omnibus hominibus,  
qui & ipsi parent, & post eum nati sunt, patris regnum præ-  
parans. Hunc copiæ cælestes, infinitaq; millia angelorum,  
Dei inseruientium voluntati, & diuini exercitus multitu-  
dine infiniti cingunt. Quinetiam hic regius Dei sermo o-  
mnibus spiritibus, qui abdite intra cæli ambitum delite-  
scentes, totius mundi gubernationi subseruiunt, velut qui-  
dam summi imperatoris præfatus præest. Hunc summum  
ducem, pontificem magnum, patris prophetam, magni con-  
siliij angelum, lucis paternæ splendorem, filium vnigenitum,  
aliisque infinitis huius generis nominibus expressæ theo-  
logorum voces appellant. Quem quidem vtpote vnû Dei  
sermonem, legem, sapientiam, omnisq; boni plenitudinem  
pater constituens, velut donum salutare omnibus, qui ip-  
sius obsequuntur imperio elargitus est. Hic etiam res tra-  
nat vniuersas, vbique incedit, patris munera erogat, affatim  
in omnes, exemplar regij dominatus hominibus in terris ha-  
bitantibus porrigit, animumq; humanum ad ipsius imagi-  
nem factum, diuinis exornat facultatibus. Hinc aliarum vir-  
tutum quasi communio influit in animum, & ex eius diui-  
nitatis fonte manat. Nam solus ille sapiens, solus Deus, so-  
lus essentia bonus, solus denique robore valens. Iustitiæ i-  
tem procreator, parens rationis & sapientiæ, fons lucis &  
vitæ, veritatis & virtutis quasi promus & condus, veri impe-  
rij, omnis principatus ac potestatis moderator. At vnde ista

*Theologi  
hoc loco  
pro pro-  
phetis, e-  
uangelis-  
tis, &  
apostolis,  
qui scri-  
pturas sa-  
cras no-  
bis reli-  
querunt  
capiendâ  
sunt.*

T t s homi-

EVSEBII ORATIO

hominibus cognita? quis auribus mortalium hæc suppedi-  
tauit? Qui lingua carnea, ea quæ sunt carnis, corporisque  
expertia, exprimere potest? Quis regem ab oculorum aspe-  
ctu seclusum considerans, istas in eo facultates & virtutes  
inesse animaduertit. Nam sensibus quidem tum elementa  
eisdem cognata vnde corpus constat, tum res aliæ ex illis  
concretæ percipiuntur. At nemo hæctenus est aliquando  
gloriatu, se vniuersitatis regnum, quod aspectum homi-  
num fugit, oculis corporeis conspicatum esse. Neque pro-  
fecto natura mortalis, sapientiæ pulchritudinem apprehen-  
dere valet. Quis sensibus corporeis iustitiæ quasi vultum  
aspexit? vnde notio imperij vere legitimi, potestatisq; pla-  
ne regiæ hominibus succurrit? vnde principatus, qui suo-  
pte nutu regit omnia, ei qui est carne & sanguine circun-  
datus cognosci poterat? Quis species illas abstrusas figu-  
raq; carentes, quis essentiam, corporis & figuræ exper-  
tem, hominibus in terris prædicasset, si non vnus fuisset i-  
starum interpretes Dei sermo, qui per res permeat vniuersas,  
qui quæ essentia, quæ ratione solum & intelligentia ab ho-  
minibus compræhenditur, parens & procurator est? Qui  
solus cum diuina patris essentia cohærens, suorum quasi  
liberorum animos diuini paternæ fluentis rigat.

Ex hoc fonte prudentes cogitationes quæ sunt naturaliter  
in nostris mentibus insitæ, ad omnes homines, tam græcos,  
quàm barbaros permanarunt. Hinc rationis & sapientiæ  
notiones: hinc prudentiæ & iustitiæ semina: hinc artium  
perceptiones: hinc virtutis cognitio, gratumque & iu-  
cundum nomen sapientiæ: hinc venerandus philosophiæ  
amor: hinc ipsius Dei visio, & vita præclarè ad pietatem  
instituta: hinc omnis boni & honesti notitia: hinc homi-  
ni regni firmitas & imperium omnium orbem terræ inco-  
lentium inexpugnabile. Hic porro Dei sermo, qui est a-  
nimantium rationis participium parens, effigiem ad ima-  
ginem & similitudinem Dei hominis impressit in animo:  
hocque animal verè regium solum eorum, quæ in terris  
gignuntur, ad imperandum & parendum aptum efficit.

Cui etiam scientiam ingenerauit futura præmeditandi,  
hincque de spe regni caelestis, quæ nobis ostentata est,  
præiudicandi: propter quam ille ipse, qui nostri omnium  
filio-

filiorum suorum pater est, in mundum ingredi, & cum mortalibus in congressum & colloquium venire est minime grauatus. Qui & semina in animos nostros sparsa, instar agricolæ colere, & dona nobis cælitus demissa renouare, & omnibus cælestis regni participationem annuntiare non dedignatus est. Quinetiam omnes vocauit, imo verò sedulo hortatus est, vt ad iter cæleste suscipiendum essent instructi, stulamque dignam sua vocatione præpararent. Porro autem facultate quadam inexplicabili mundum vniuersum, quem sol lustrat, sua doctrina compleuit, hacq; adumbrata regni terrestris specie, regni cælestis expressit effigiem, ad quod vniuersum hominum genus, vti studiose contendat, impellit, præclaramq; illius consequendi spem eorum animis inijcit. Cuius quidem noster hic Deo charus imperator, etiam iam in hac vita fit participes, tum quòd virtutibus à Deo in eius animo insitis ornatus sit, tum quòd inde diuinæ facultatis in eius mentem delapsæ. Etenim Dei sermonis beneficio, qui per omnes res pertinet, disertus & prudens factus est, & diuinæ sapientiæ communione sapiens: bonus etiam bonitatem participando: iustitiam acquirendo iustus: temperans speciem induendo temperantiæ: denique cæleste robur assequendo fortis. Quinetiam hic verè imperator appellari poterit, qui animo suo, propter imperatoris virtutes in illo insitas, supremi illius imperij exemplar representat: qui autem ab his penitus relegatus sit, quique summum totius vniuersitatis imperatorem denegarit, neque cælestem animorum agnouerit procreatorem & parentem, neque debitum decus illi tribuerit, sed turpitudinis labe animum deformarit, regiam mansuetudinem cum immanis & agrestis beluæ furore, liberalem & honestam animi affectionem cum letifero vitiositatis veneno, cum stultitia prudentiam, cum ratione & sapientia temeritatem, rem omnium plane maxime deformem commutarit, ex qua tanquam ex amara stirpe, germina perniciosa ac pestifera nascuntur, vita in omnem intemperantiam effusa, auaritia, cædes, bellum cum Deo, denique impietas, qui inquam his se totum dederit, etiamsi violentia tyrannica imperium occupet, nunquam vere Imperator dici nuncupariq; poterit.

Qui

## E V S E B I I O R A T I O

Qui enim monarchiæ effigiem gerere potest ille, qui infinitas dæmonum imagines adumbratas eas quidem in animo impressas habeat? Quemadmodum princeps vocari & rerum summa potiri ille quidem, qui infinitos dominos eosque valde acerbos suis ipsius ceruicibus imposuerit? Nam seruus est obscenæ voluptatis; seruus intemperantis & insanæ libidinis cum mulieribus explendæ: seruus pecuniæ iniuste partæ: seruus excandescentiæ & iræ: seruus timoris & formidinis: seruus dæmonum cruentorum: seruus denique spirituum animum corruptentium: Quapropter solus hic noster Constantinus, ipsius veritatis testimonio imperator prædicetur, qui quidem cum Deo summo omnium imperatore amoris vinculis iunctus est: qui solus liber est: imo verò etiam qui vere dominus est: qui nec pecuniarum, nec mulierum cupiditate vincitur, sed voluptatum etiam, quæ sunt secundum naturam victor est. Qui excandescentiæ & irâ expugnat, non autem ab illis expugnatur: hic reuera imperator est, cuius res gestæ nomini, quo nuncupatur, respondent. Hic plane victor, qui victoriam à perturbationibus mortalium genus deuincitibus reportat. Hic etiam imperator, qui ad primariam illam magni imperatoris speciem quodammodo figuratus est, & virtutû splendore ex ea profuso in mente, velut in speculo, formam illius expressam habet, eisdemque cumulatè exornatus, temperans, bonus, iustus, fortis, pius, Deo charus efficitur. Hic re ipsa imperator & solus philosophus, qui seipsum noscit, qui cuiusq; boni adiumenta extrinsecus, imò verò è cælo ipso in animum infusa pro certo persuasum habet, qui venerandum regij principatus nomen eximio vestitus ornatu circumiecto insigniter illustrat, qui denique solus regia purpura ipsius dignitati accommodata optimo iure induitur. Hic certe imperator qui noctes diesque cælestem patrem inuocat, qui precibus eius opem implorat, qui ardenti regni cælorum desiderio incenditur. Nam cum res huius mundi, vtpote mortales, si agiles, & instar fluminis delabentes, recidentésque in nihilâ, indignas esse summo omnium imperatore Deo intelligat, regni Dei, quod neq; habet interitum, neque temporis diuturnitate tabescit, mira cupiditate inflammatur: & prudenti admodum cogitatione consilioque inductus, illud solum

assequi

assequi exoptat, mentemque in sublimi supra illum eximiū  
 cæli globum defixam habet, atque adeo perpetuo luminum  
 ibi splendentium desiderio eius pectus exardescit, cum  
 quibus si quæ in hac vita eximia videantur, & illustria, com-  
 parentur, nihil à tenebris differre existimat, nam hunc hu-  
 manum principatum, qui propter mortalem & caducam  
 huius vitæ rationem ad breue & exiguum tempus durat, cō-  
 siderans, caprariorum, pastorum ac bubulcorū imperio non  
 multo præstantiorem esse, imo verò multo plus laboris &  
 molestiarum habere arbitratur populi acclamationes, & vo-  
 ces assentatorum, quæ ad inanem vulgi oblectationem pot-  
 tius, quàm ad morum grauitatem, & ingenuam animi disci-  
 plinam fundi solent, quin etiam turbam subiectorum se sti-  
 pantem, infinitas copias armatorum tam peditum, quàm o-  
 quitum, denique seruilem & dicto audientem multitudinē  
 eum videt, non admiratur, non magni æstimat, neque adeo  
 istorum se insolenter effert imperio, sed ad suam ipsius mē-  
 tem se conuertens, in seipso communem omnium naturam  
 contemplatur. Vestem præterea auro intertextam, variisq;  
 floribus depictam, purpuram quoque imperatoriam cū iplo  
 diademate habet pro ridiculis. Et quanquam vulgus homi-  
 num istas res admirari & instar infantium puerorum earum  
 visu velut larua quadam obstupescere animaduertit, illi ta-  
 men nihil tale accidit, sed quia Deum vere cognoscit, ob  
 eam causam ornatum imperatori cōsentaneum animo suo,  
 vestitus loco, circumdat, temperantia, iustitia, pietate, & cæ-  
 teris virtutibus illustratum. Porro autem pecuniam, aurum  
 dico & argentum, quæ vulgo maxime expetuntur, genera la-  
 pidum, quæ sunt in admiratione, qualia sunt natura, talia e-  
 tiam ea esse considerat, hoc est, materiam plane inutilem,  
 quippe quæ nihil ad malorum curationem adferat adiumē-  
 ti. Ecquid enim ista vel ad morbos sanandos, vel ad deui-  
 tandam mortem habent momenti? At licet eadem ista ita  
 se habere accuratè intelligat, illis tamen, quo subiecti sui eū  
 reuerentes, melius in officio contineantur, moderata ratio-  
 ne vitur, eosq; deridet, qui propter inscitiam ea ipsa suspi-  
 ciunt ac venerantur. Accedit his quòd crapula, ebrietate, su-  
 peruacaneisq; ciborum condimentis, vtpote hominum ab-  
 domini deditorum propriis, se abstinet, quippe qui aliis, nō  
 sibi

## EUSEBII ORATIO

sibi eas res conuenire existimet. Nam exploratum habet eiusmodi res & corpori nocere plurimum, & animi intelligentiam obscurare, obruereque. His igitur de causis Imperator noster diuinis præceptis institutus, & ad res præclaras animum applicans, cupiditate ducitur earum rerum quæ sunt huius vitæ commodis longe anteponendæ: patremque caelestem assidue inuocat, eius regni flagrat desiderio, omnia vitæ officia pie religioseque obit, & illis qui ipsius parent imperio, tanquam ab egregio præceptore cruditis, diuinam summi Imperatoris Dei cognitionem proponit. Itaque Deus ei, anno hoc imperij trigesimo, eximios honores diuturnis iam temporum conuersionibus perfectos expletosque, tanquam authoramenta remunerationis velut stipulatione facta tribuit: atque decennij spatium iam tertio vertente, vniuersum hominum genus ad festa popularia, imò verò insignia ad eius gloriam illustrandam celebranda impellit. Nec certe a ratione alienum est, vt cælitum chori naturæ legibus impulsis, cum his, qui in terris pulchris diuinæ cognitionis quasi floribus decorati sunt, pariter lætentur: ipseque adeo summus omnium moderator Deus, non aliter atque bonus pater, de filiis suis pietatem colentibus permagnam capiat oblectationem, idque adeo maxime, quòd omnium gubernatorem, authoremque bonorum ad longinquum temporis spatium sunt honore profecturi, ita vt regnum illud tribus decennij curriculis non sit contentum, sed diuturnum maneat, & in æuum immensum perpetuetur. Nam vniuersum æuum nec senectute confici potest, nec diuturnitate temporis occidere, nec principio finire, vt mortalium ratio fert, considerari solet, neque puncto, quo quasi medium inciditur, immo ne illud quidem quod *vñ* id est, præsens tempus dicitur ab his qui illius cognoscendi studio incenduntur, comprehendendi potest: nedum futurum tempus aut præteritum. Quippe illud non est, hoc iam abiit. Præsens autem, sic enim appellatur, tum cogitando, tum exprimendo multo celerius, quàm verbum præteruolat. Neque certe fieri potest, vt illud tanquam instans capiatur. Nam aut futura expectare, aut considerare præterita necesse est: quandoquidem vnà cum cogitatione præ-



præterlabens fugit . Quocirca vniuersum æuum se sub  
 mortalium cogitationem subijci non patitur, verum quan-  
 quam eorum nutum seruili more obseruare prorsus renuit,  
 Deum tamen suum ipsius regem & dominum agnoscit lu-  
 bens, eumque tanquam dorso insidentem circumfert, seque  
 tam præclaro eximioque onere onustum gloriatur . Ille i-  
 stud regit cælitus, non aurea catena, vt est apud poetam, con-  
 stringens, sed diuinæ arcanæque sapientiæ vinculis, tan-  
 quam habenis quibusdam coercens moderatur: mensesque  
 & tempora, mutationes temporum & annos, noctium &  
 dierum vicissitudines, in ipsum illud perfecto absolutoque  
 illigauit concentu: variis quoque terminis & modis de-  
 uinxit. Hoc autem vtpote in rectum sua natura, & in im-  
 mensum productum,  $\alpha\omega\upsilon\theta$ , id est, æui nomen tanquam  
 $\alpha\omega\upsilon$ , id est, semper existens, obtinet: ipsumque suis parti-  
 bus par ac simile est, imo verò partium & interuallorum ex-  
 pers, in solam, vt ita dicam, rectitudinem protractum, au-  
 gescit . Ille idem ipsum incisionibus interiectis diuidens,  
 & tanquam rectam lineam in longitudinem extensam pun-  
 ctis distinguens, ingentem multitudinem in id conclusit,  
 & licet vnum sit, vnitatisque exprimit effigiem, ille tamen  
 in varios cuiusque generis numeros id ipsum dispertiuit,  
 & ex eo, quod forma vacabat, multiplicem formarum va-  
 rietatem quæ in eo cernitur, effecit. Nam primo omnium  
 materiam formæ expertem velut essentiam ad omnes for-  
 mas capiendas aptam in eo collocauit . Deinde qualitatem  
 binarii numeri vi & facultate materiæ adiunxit, speciemque  
 effinxit ex illo, quod specie carebat . Tum ternarij nu-  
 meri subsidio, corpus ex materia, & forma concretum, tri-  
 plici que distinctum diuisione, fabricauit, latitudine, lon-  
 gitudine, & crassitudine . Quinetiam ex gemino bina-  
 rio quaternionem elementorum terræ, aquæ, aeris, & ignis  
 excogitauit: fontesque perennes ad necessarium huius vni-  
 uersitatis vsum & vtilitatem inde produxit. Hic quaternio  
 procreat denarium: Nam vnum, duo, tria, quatuor denarij  
 numerum conficiunt. Denarius autè per ternarium replica-  
 tus, mensem cõstituit, mensis verò duodecim cõuersionibus  
 solis orbè & cursum explet. Hinc annorù circuli, quin etiã  
 muta-

muta-

## EUSEBII ORATIO

mutationes ac vicissitudines temporum, æuum, quod forma ac specie caret, tanquam in pictura floribus permultis variata exprimunt, eæque ad quietem relaxationemque eorum, qui in illo cursu vitæ faciunt, referuntur. Nam ut his, qui in certamine, spe præmiorum adducti, cursus peragunt, spatia quædam stadiis terminata sunt, & illis qui longa itinera ingrediuntur, via quibusdam præstituta quasi diuersoriis & certis spaciis circumscripta, ne cuiusquam alacritas, dum expectatio in infinitum ducitur, omnino defatigata succumbat, eodem modo summus ille omnium imperator Deus, æuum vniuersum sapientiæ vinculis circûdantis, ducit agitâtque, ipsumque varijs motibus gubernat, quatenus ei commodum visum sit. Porro autem rector ille vniuersi, idem ipsum æuum, quod ante figuræ expers fuit, coloribus speciosis, & virentibus floribus circumuestiuit: diemque solis splendore candidam effecit: noctem autem atro conspersit colore, eamque stellarum luminibus velut aureis ramentis collustrat. Quinetiam totum cælum tanquam velamen ingens claris luciferi radiis accensis, lucisque lunæ varietate, & splendida astrorum frequentia, velut variis cuiusque modi picturæ exornauit insignibus, Aerem item de sublimi in profundum porrectum, qui sua vi latitudinem, longitudinemque totius mundi refrigerat temperatque, volucribus omnis generis pulchrè conformauit. His accedit immensum pelagus, quod piscibus per ipsum gradientibus, quorum pars ab oculis hominum pœnitus remouetur, pars in conspectum prodit, longe latèque diffudit ad permeandum. Postremo terram in medio mundi, instar puncti sitam, paribus libratam ponderibus, oceano circumdedit: qua quidem cæruleo cæli colore eam ambientis decorata, pontus circûclus murmurat. Hanc quasi vestam, matrem & nutricem omnium animantium in ipsa editorum constituit, imbribusque & fluentis à fontibus deriuatis irrigat, inque ea vim facultatèque in seuit, ut variis cuiusque generis plantis, & floribus decoris, ad iucundum vitæ vsum & oblectationem viueret, vbi verò hominem, qui mente & scientia præditus est, qui rationis & sapientiæ quasi proles rationalis est, animal omnium, quæ in terra nascuntur, præstantissimum sibi; charissimum, ad imaginem suam fabricasset, ei cæterorum animan-

animan-

animantium qua gradiuntur in terris, victumq; quæritant, principatum tribuit. Nam homo erat quem præ cæteris animalibus vitam in terrâ degentibus summo amore complexus sit, & velut pater reliquis animantium generibus præferit. Homo erat, cuius gratia mare aptum effecerit ad traiciendum, terramq; plantis cuiusq; modi decorarit. Homo erat cui & belluas in profundis cauernis serpentes, & volucres meantes in sublimi obsequentes reddiderit. Homo erat cui cognoscendi facultates aptas ad cuiusque disciplinæ perceptionem largitus est. Homo erat, cui rerum cælestium contemplationem patefecerit, cuiq; cursus solis, lunæ conuersiones, ratos stellarum tum errantium, tum fixarum circuitus commonstrarit. Homo denique erat, cui soli omnium, quæ in terra sunt, mandatum dederit, vt patrem agnosceret, cælestem præpotentemq; omnis æui moderatorem laudibus celebraret. Quinetiam præter ista omnia, mundi fabricator, Deus, æuum, quod mutari non potest, quatuor anni circumligauit mutationibus, tempusq; hybernum vere terminauit, & ver anniuersariorum temporû initium paribus librauit ponderibus. Deinde æuum vniuersum multiplicibus veris fructibus exornauit: tum illud ipsum florenti ætatis temporî tradidit: deinceps velut à laboris contentione illud ipsum remittens, spatio recreauit autumnali: ad extremum tanquam equum regium & insignem, humido hybernorum imbrium lapsu abluens, & fluentis inde promanantibus pulchrum reddens ac splendidum, rursus in ipsius veris quasi vestibulis collocauit. Postea igitur vbi summus ille omnium imperator Deus pater, æuum suum eiusmodi sapientiæ habenis in hoc totius anni circulo colligauerat, eximio & præstanti gubernatori, suo vnigenito verbo illud moderandum tradidit, eiq; vtpote communi omnium seruatori habenas huius commisit vniuersitatis. Ille igitur à patre benigno hanc hæreditatem consecutus, non modo omnia, quæ cæli ambitus intra se, extrâve complectitur, vna compage constricta, quasi ad normam dirigit, gregique suorum rationis participi, qui in terris versatur, ea quæ sunt accommodata vtiliaq; summa cum æquitate prouidet, verum etiã certos viuendi fines his, qui vitam transigunt mortalem præscribit, omnibus hominibus facultatem quandam dat ea in

V u

hoc

EVSEBII ORATIO

hoc vitæ curriculo præmeditandi, quæ sunt quasi proœmia vitæ illius quæ est hoc præfenti ævo multo præstabilior. Nam post ætatem, quam in hoc mundo degimus, vitam divinam & beatam illis, qui bonorum spe inducti, præclare in hac vita concertent, reconditam esse docet, atque ut omnibus qui vitam modeste & pie agant, discessum hinc & migrationem ad loca multo præstabiliora fore: Sic illis, qui sunt ob scelera in hac vita admissa reprobati, locum accommodatum tributum iri. Quinetiam cunctis tanquam in stadio certaminis collocatis, varias cuiusque generis coronas, Si vicerint polliceri, aliosq; post alios virtutum præmiis remunerari non desistit. Bono autem imperatori qui se pietatis ornamentis decorauerit, præmia eius certaminibus longe præstabiliora præparata esse denunciat: quorû quasi proœmia hic iam, crebro hominum conuentu, celebrandi potestatem fecit, idq; festo ex numeris perfectis composito, ternario scilicet, & vnitate triplicata. Quorum ternarius, vnitatis velut proles est, vnitas autem mater numerorum est, omniumq; mensium, mutationum temporis, annorum, vniuersiq; temporis circuitus cursusq; varietates distinguit: Est præterea multitudinis principium: fundamentum etiam, & quasi elementum *μονάς*, id est, vnitas merito dicitur, *ἡ ἀρχὴ τῆς μέτρης*, id est, à manendo appellatum, propterea quod cum omnis multitudo accessione & discessione numerorum crescat, & diminuatur, sola vnitas stabilis & fixa manet, ab omni multitudine, omnibusque numeris ex se procreatis secreta seiunctaque, similitudinemq; gerit essentiæ, quæ neque partiri potest, & est ab aliis rebus segregata, cuius vi & communionem, rerum omnium natura firma consistit. Nam vnitas cuiusque numeri procreatrix est: quippe compositione & accessione vnitatum omnis augetur multitudo. Neque certe potest fieri, ut numerorum essentiam ab vnitatis sepe ratam intelligamus. Illa tamen extra omnem multitudinem est, omnique numero longe præstantior, quæ tametsi numerum quemque gignit, efficitque, nunquam tamen ab vno ipsa augeri potest. Porro ternarius est illi cognitione coniunctus, partitionis similiter, diuisionisque expertus, primusque numerus est, qui ex pari impariq; constat.

Nam

Nam binarius vnitate adiuncta ternarium generat, qui primus impar numerus est. Ternarius etiam iustitiam repræsentat, quippe qui æqualitatis dux sit, initium medium, & finem æqualem assecutus. Quæ quidem mysticæ sacrosanctæ, & venerandæ Trinitatis imaginem præ se ferunt, quæ ex natura principio ortuq; carente constans, essentiæ rerum omnium ortum habentium, semina, rationes, causasq; completitur. Quinetiam ternarij vis principium vniuersi iure existimari potest. Nam numerus denarius est extremitas numerorum omnium, quippe qui alios ipsum antegredientes complexus, eos omnes terminat. Idemque plenus & omnibus suis partibus expletus numerus recte appellatur: utpote qui omnes species, omnesque omnium numerorum, rationum, concentuum, harmoniarum, modos contineat: vnitates igitur compositione auctæ, denatio terminatur. Huncque velut parentem, & circumscriptionem ratam consecutæ, tanquam in gyrum voluuntur. Deinde circulum secundum, tertium, & quartum vsque ad denarium conficientes, ex decies decem centum complent. Tum ad primos quasi carceres, vnde inceperunt, recurrunt. Inde rursus initium capientes, & ad decem progressæ, deciesque centum peragrantes, perque eosdem flexus retro gradientes, longos illos numerorû circuitus conficiunt, tum ex se ordientes, tum in se denuo reuolutæ. Nam decimum in numero denario vnitas est: decemque vnitates vnum efficiunt denarium. Denarius autem vnitatum extremitas. Est etiam terminus, & flexus certus ratuque. Flexus infinitatis, quæ in numeris cernitur: terminus autem ac finis vnitatum. Ternarius vero cum denario coniunctus, & tertiam circuli denarij conuersionem conficiens, triginta, qui est numerus maxime naturalis gignit. Nam eadem est ratio numeri triginta in denariis, quæ est ternarij in vnitatibus. Quinetiam numerus triginta terminus fixus est cursus illius luminaris, quod proxime & secundum solem clarissimum est. Quippe lunæ circuitus ab vno cursu ad alterum progressæ, mens circulum conficit. Quo confecto rursus initium quasi ortus sui consecuta, nouum lumen, diesque novos inchoat. Quocirca vnitas numero triginta decorata, tribus exornata denariis, & decem ternariis illustrata, totum opus regni imperatoris Constantini vi-

## EVSEBII ORATIO

toris, cui orbis terræ paret vniuersus, quiq; à Deo omnium  
 bonorum largitore honore affectus est, & author nobis est  
 bonorum, quibus nuper potiti sumus, intra istorum nume-  
 rorum ambitum complectitur: quod quidem regni tempus,  
 quanquam hætenus festi anni trigefimi duntaxat celebra-  
 tionem continet, tamen deinceps spatia orditur longiora,  
 & spem certam ostentat, bonorum futurorum in cælesti re-  
 gno repositorum: vbi non solis modo, sed aliorum lumina-  
 rium infinitorum multitudines, quæ omnia ex se profun-  
 dunt splendorem luce solis multo clariorem, quæque fulgo-  
 re radiorum ex perenni æterni luminis fonte profluentium  
 collustrantur atque splendescunt, circa illum summum om-  
 nium imperatorem gradiuntur. Vbi animus in præclarorum  
 perfectorumq; bonorum abundantia ætatem degit. Vbi vi-  
 ta ab omni molestia & angore vacua, vbi moderatæ & syn-  
 ceræ voluptatis perceptio, vbi tempus perpetuum, æternū,  
 infinitum, nulla extremitate terminatum, nullis dierum, no-  
 ctiumq; interuallis, nullis annorum circulis, nullis tempori-  
 ris conuersionibus dimensum, sed vnum quasi vitæ circulū  
 in immensum spatium continuatum: quod quidem non so-  
 lis illuminatur radiis, non syderum multitudine, non lunæ  
 splendore collucet, sed ipso vero luminari, Dei verbo vni-  
 genito summi moderatoris filio perfruitur. Et ob eam cau-  
 sam illum, solem iustitiæ, luménq; omnium luminum præ-  
 stantissimum esse arcana & sacra diuinæ scripturæ eloquia  
 docent: eumq; ipsum illas beatissimas potestates iustitiæ ra-  
 dius, sapientiæq; claritate illustrare, animosq; pietate imbu-  
 tos non cæli ambitu, sed suo ipsius gremio complectentem,  
 suorum promissorum fidem re ipsa confirmare credimus.  
 Neque certè oculus mortalis vidit, neque auris vlla perce-  
 pit, neque mens carne circumuestita poterit perspicere ea,  
 quæ sunt his, qui animos suos pietatis ornamentis decora-  
 uerint præparata: ex quorum numero tu es, imperator san-  
 ctissime, cui soli ex omnibus, qui ab initio hætenus regna-  
 uerint, ille summus totius vniuersitatis imperator potesta-  
 tem largitus est vniuersum hominum genus labe supersti-  
 tionis perpurgandi: cui suum ipsius salutare signum demon-  
 strauit: quo quidem morte profligata euita, triumphum  
 contra hostes egit: quo etiam victoriæ trophæo & propu-  
 gnaculo

gnaculo ad arcendos dæmones, impij erroris simulachris ex aduerso oppposito, victoriam contra omnes impios hostesq; barbaros, quinetiam contra dæmones, quod est aliud barbarorum genus, reportauit. Etenim cum duplex in nobis infita sit natura, altera animi, altera corporis, & hoc ab omnibus visum, ille ab oculis penitus remotus, in his duo contraria barbarorum genera, eaq; nobis admodum infesta, posita sunt, quorum alterum ex occulto, alterū aperte nos oppugnat, atq; alterum corpora corporibus obiectat, alterum armis omnis generis, corporis expertibus, animum hominis nudum & inermem obsidet. Porro autem barbari illi, qui oculis cernuntur, velut pastores quidam feri & agrestes, qui nihil à belluis differunt, in cicures hominum greges impetum faciunt, vastant agros, & tanquam immanes lupi, è solitudine in ciues cuiusq; ciuitatis irruentes, ciuitates in seruitutem redigunt. Ad extremum omnia, quæ possunt, labefactant, perimuntq;. Infesti autem & animorum corruptores dæmones, qui sub aspectu minime subijciuntur, quique omnibus barbaris sunt multo crudeliores, per aerem peruolantes, vniuersum mortalium genus machinis peruersæ & deprauatæ opinionis in multis diis colendis positæ subiugarunt: adeo vt deinceps non verum Deum venerarentur, sed multiplici & impio vagantur errore. Nam deis quibusdam, qui nequaquam Dei sunt, in humanam vitam, vnde haud equidem scio, introductis, eū qui solus & verus Deus est, perinde ac si non sit, penitus neglexerunt. Vnde corporum ortus ab illis habebatur pro Deo, & rursus alium deum huic contrarium colebant, corporum videlicet interitum & dissolutionem. Ac prior, quem ducem ortus putabant, veteris nomen obtinebat: posterior autem, vtpote qui multum possit, & mortale genus deuincit, Pluto & Mors appellatur. Etenim homines id temporis, quoniam non aliam vitam, quàm quæ ortu constet, cognoscebant, idcirco illius causam & ortum Deum esse asseruerunt: & quia homines post mortem esse & manere non censebant, ob eam causam mortem victricem omnium, & Deum omnium maximum nuncuparunt. Quinetiam quoniam persuasum habebant se propterea nullis pœnis obnoxios esse, quòd animus simul cum corpore, morte extinguitur, idcirco sceleribus infini-

EVSEBII ORATIO

tas mortes promerentibus se dum viuerent, ipsi obstrinxerunt, vitamque haud vitalem degerunt: quippe neque de Deo cogitabant, neque tribunal diuini expectabant iudicij, neque essentiam animi sui in memoriam reuocabant, sed vni acerbæ dominæ parentes, morti scilicet, atque istorum corporum interitum, totius hominis dissolutionem interencionemque; esse sibi persuadentes, mortem præpotentem deam, & *πλούσιον*, id est locupletem, ob eamque causam Plutonem nominabant. Ac non mors solum Deus habebatur, verum etiam res illa multo præstabiliore, quæ miseræ & calamitosæ eorum vitæ non nihil conducebant. Nam illis Deus existimabatur, voluptas corporis, deus alimentum, deus huius propago, deus fructuum origo, deus ebrietatis delitiæ, deus carnis desideria, deus denique earum rerum oblectatio. Hinc Cereris, & Proserpinæ raptus à Plutone, eiusdemque restitutio: hinc Bacchi initiationes: hinc Hercules ab ebrietate, tanquam à potentiore dea victus: hinc amoris & veneris mysteria adulterij plena. Hinc Iuppiter ipse mulierum cupiditate insanens, & flagrans amore Ganymedis. Hinc lasciuia fabularum commenta, de diis voluptatis illecebris, & perturbationibus deditis. Itaque crudeles illi barbari, dæmones dico, summo omnium imperatori inimici, tam diris erroris Deo penitus aduersantis telis obruerunt in terris humanum genus: Sicque sibi subegerunt, vt vbiq; locorum impietatis erigerent columellas, templaque; & delubra falsæ & commentitiæ diuinitatis, in quibusque angulis construerent. Quinetiam qui tum dominari putabantur, adeo inferuiebant errori, vt tribulum & cognatorum cæde illos ipsos deos placarent, & contra veritatis propugnatores, gladios acuerent, bella pestifera cierent, & impias manus non contra hostes, alienos & peregrinos, sed contra familiares & amicos, contra fratres, cognatos & charissimos, qui vitæ grauitate, temperantia, veræ pietatis institutis, Deum colere & venerari sedulo studuerunt, scelerate armarent, eo insaniam ac dementiam sunt prolapsi, vt eos qui erant Deo vniuersitatis gubernatori consecrati, suis dæmonibus pro victimis mactarent. Hi autem, vtpote generosi & magnanimi synceræ pietatis, & veræ vitæ testes, gloriosam mortem pro veritate longe huic vitæ anteponendam animo complexi, eiusmodi



modi tyrannidem contra ipsos vsurpatam pro nihilo putauerunt, imo verò se ipsos, vt Dei milites decebat, tolerantie armis obsepientes, omnia mortis genera habuerunt pro ludibrio: quippe ignem, ferrum, clauorum confixus, immanes bestias, profundos maris gurgites, membrorum amputationes, exustionesq; effossiones oculorum, extremarum totius corporis partium præcisiones, famem præterea, metalla, vincula propter amorem & desiderium, quo erga suum regem Deum flagrabant, multo plus, quàm vllam etiam voluptatem habere iucunditatis existimarunt. Quinetiam mulierum, quæ non minus, quàm viri, animis excelsis & constantibus erant roboratæ, nonnullæ eadè subiere certamina, quæ viri, pariaq; virtutis præmia reportauere: aliæ ad flagitia corporum attractæ, maluere mortis discrimini vitam, quàm corpus turpitudini obijcere. Aliæ etiam ferme infinitæ, quæ ne extremis quidem, vt aiunt, auribus stupri minas audire tolerabant, à prouinciarum præsidibus quodque tormentorum genus, & quamq; mortis latam sententiam forti & virili animo sustinuerunt. Itaque hi dei summi imperatoris quasi antesignani, contra exercitum multos deos colentem firma animorum constantia dimicabant. Illi autem dæmones, Dei aduersarij, & humanæ salutis oppugnatores, quouis feroci barbarorum genere crudeliores, eiusmodi humani sanguinis libamentis fuere vehementer delectati. Illorum igitur administri talia poculenta ex iniusta cæde hausta, illis propinarunt, istudq; tam acerbum, tamque impium epulum eis ad humani generis appararunt interneccionem. His rebus ita constitutis, quid tandem Deus, istorum afflictorum oppressorumq; rex facere debebat? nunquid hominum sibi charissimorum salutem negligere? nunquid familiares suos ita ab hostibus oppugnatos contemnere? At eo pacto neq; sapiens gubernator dici potuisset, Si nauem profundis & vastis fluctibus cū ipsis viris submergendam remisisset, nihilq; opis ad nauigantium attulisset conseruationem, neque dux acer & fortis, cum suis necessariis ab hostibus opprimi impune pateretur: quinetiam neque pastor bonus, si sui gregis ouem vnam errore vagari inclementer sciuisset, & non potius ceteris ouibus, quibus erat recte prospectum, in locoturo relictis, nihil non laboris & molestiarum quo erratē

EVSEBII ORATIO

conseruaret, subiisset. Atque adeo si fuisset opus cum immanibus bellis quasi manu conflisset. Verum ut summus omnium moderator Deus ouis rationis expertis nullam duxit curam, sic omne suum studium eò contulit, ut suum exercitum, & eos, qui erant propter ipsius amorem oppugnati, benigne subleuaret, quorum certamina & dimicationes pro pietate susceptas beniuolo animo amplexatus, non paucos ex illis qui iter ad ipsum per martyrium faciebant, eximiis victoriæ decorauit coronis, inque cælestem angelorum chorum, ascripsit, alios in terra, tãquam uiua pietatis semina reseruauit ad posteritatem, ut tum supplicij impijs merito irrogati spectatores, tum rerum gestarum, quas oculis aspexissent, narratores existerent. Deinde dextera sua ad hostes uelut percussor porrecta, suo ipsius nutu illos ex improviso, plagis cælitus inflictis infectatus, penitus è medio sustulit: eosdemq; palinodiam scelerum ab se admissorum suo ipsorum ore canere etiam inuitos coegit. Hos uero qui admodum abiecti, & ab omnibus erant pro desperatis habiti, è terra in sublime extulit. Istud magnus ille imperator Deus cælitus transegit, Constantinumq; seruum suum (sic namque imperator ob singularem & eximiam pietatem appellari gaudet) uelut armatum satellitem plane inexpugnabilem hostibus opposuit, eumq; effecit inimicorum omnium victorem, atque adeo unum contra multos excitauit. Nam illi fere infiniti erant, & multi eorum cum multis malignis dæmonibus amicitia coniuncti: imò uero non reuera erant, quia neque amplius existunt. Hic ex uno Deo unus imperator designatus, effigies & imago unius summi omnium imperatoris est. Illi animo impio præditi, pios viros cruentis cædibus è medio sustulerunt. Hic seruatoris sui exemplum imitatus, & hominibus solum seruandis deditus, etiam impios seruauit, eosq; pietatem & uerum Dei cultum perdocuit. Quinetiã hic utpote re ipsa & ueritate victor, duplex illud barbarorum genus profligauit: quippe genus hominum agresti feritate imbutum, prudentibus consilijs & hortationibus ad eos per legatos missis mansuefecit, principes ipsis potentiores coegit agnoscere, & à uita scelerata ac fera ad modestam ciuilemq; traduxit: Genus autem dæmonum, qui oculorum sensu minimè percipi possunt, crudele illud quidem, & immani-

manitate efferatū, re ipsa coarguit repressitq; vtpote quod iam olim fuisset ab ipso Deo superatum. Communis enim totius vniuersitatis conseruator, spiritus illos, qui oculis cerni nequeunt, vi quadam abstrusa & recondita deuicerat. Constantinus autem, velut summi imperatoris legatus, illos deuictos occupauit, & statuas mortuorum, qui iam pridem perierant, expoliauit, prædamq; victoris Dei satellitibus large liberaliterque distribuit. Nam cum videret multitudinem, instar stultorum infantium, laruas plenas erroris ex aurea argenteaq; materia effictas frustra extimescentem, eas tanquam quosdam lapides hominibus in tenebris incedentibus ante pedes proiectos ad impingendum, è medio tollendas, regiamq; viam quæ plana & æquabilis est, omnibus in posterum patefaciendam existimauit. Ista igitur animo complexus, non armata manu, aut ingentibus copiis ad has res corrigendas sibi opus esse. Sed vnum & alterum ex illis, quos habebat spectatos, ad hoc munus obeundum satis habere virium arbitratus est: quos quidem vna eademque autoritate dignatos, ad singulas nationes misit. Illi tū singulari regis sanctimonia, tum sua ipsorum in Deum pietate freti, per mediam plebem, perque medium populū multitudine infinitum proficiscētes, in singulis vrbibus, regionibusq; errorem longinquo tempore inueteratum omnino deleuerunt. Ac primum ipsos idolorum sacerdotes magna cum irrisione ac turpitudine suos ipsorum deos ex tenebriosis recessibus in lucem proferre mandarunt: deinde exteriore illorum effigie detecta, etiam interioris formæ colore obductæ deformitatem ante oculos omnium statuerunt. Tum illis abrasis, materiæ pars quæ videbatur aliquid habere bonitatis, fornace igniq; probarunt, eamq; reseruarunt in tuto collocatam: quæ autem inanis erat, & ad nullam rem utilis, superstitionis ad memoriā suæ turpitudinis largiti sunt. Porro autem hoc, quod sequitur, non multum sane ab illo dissimile, istius imperatoris admirabilis opera gestū est. Postquam simulachra mortua ex preciosa materia conflata dispoliauerat, reliquas statuas ad perpetuandam hominum memoriā erectas, quæ erant ex ære fabricatæ aggressus est. Quinetiam deos quos veteres fabulæ celebrant, capillorum texturis constrictos colligatosq; abripiendos curauit.

EVSEBII ORATIO

Præterea regio suo obtutu, tanquam clara face accensa, sedulo perlustravit, ne vllæ erroris reliquiæ vsquam dilitescerent. Quemadmodum enim aquila in superiora aeris loca subuolans, res in terra longissimo interuallo ab se distantes acutissime cernit. Sic iste, dum in regali palatio, quod est in præclara illa vrbe ab ipso ædificata situm, versabatur, inde velut è specula periculosum quoddam rete, quo animæ hominum illaqueabantur in gentem phœnicum latitare dispexit: nemus videlicet & delubrum, non in media aliqua ciuitate, non in foro, non in palatio, vt multa quæ in vrbi- bus ornatus gratia, magno splendore decorantur, sed extra femitam, extra triuia, extra viam publicam, turpi & flagitioso veneris dæmoni, in summo vertice môtis Libani inter ar- busta locatum. Erat tanquam schola nequitia iis, qui erant libidini dediti, quiq; nimia licentia corpora sua infecerant corruerantq;. Nam viri quidam molles & effeminati, non viri reuera, pudore prorsus exuto, instar mulierum, turpif- sima contagione se inficientes, dæmonem placabant. Quin etiam scelerati & nefarij mulierum congressus, clandestinæ connubiorum corruptelæ, alia denique infanda & turpia fa- cinora in eo delubro, vtpote in loco impuro fædoque ad- missa erant. Nec quisquam fuit, qui in hæc scelera animad- uerteret, propterea, quod ex viris grauibus, honestisq; ne- mo illuc auderet accedere. Verùm hunc nostrum eximium im- peratorem, turpia facinora illic edita latere non poterant. Quæ quidem cum regia sua prouidentia dispexisset, indi- gnum censuit, vt solis splendor eiusmodi delubrum intue- retur. Proinde illud vniuersum cum ipsis statuis & monu- mentis funditus deleri mandauit. Extemplo igitur impera- toris mandato, machinamenta, quibus petulans & lasciuus ille error propugnabatur, penitus euersa fuerunt. Quippe militum manus loco purgâdo operam nauauit. Qui autem ad hoc vsque tempus luxuria defluxissent, imperatoris mi- nis perterriti, continentiam modestiamq; didicerunt. Ad huc modum igitur imperator, tum spectra illa improbitatis & nequitia, quia hominum animi occæcati fuerât, palâ sub omnium oculis subiecit, tum suum seruatorem omnibus libere prædicauit. Neque quisquam erat, vel dæmon, vel ariolus, vel vates, qui aut subsidio aliquo efficere, aut vi obsistere,

quo

quo minus errores ab illo perspicue deprehenderetur. Neque mentes hominum in obscura inscitiae caligine amplius volutabantur, sed sinceræ pietatis radiis illuminatæ, maiorū suorum ignorationem condemnare, illorum cæcitatē commisereri, seque ipsas beatas propterea affirmare cœperunt, quod erant tam graui errore liberatæ. Itaque hoc pacto Dei præpotentis cōsilio, & imperatoris opera vniuersum hostiū inimicorumq; genus tum cadentium sub aspectum, tū eundem fugentium, exiguo temporis momēto omnino fuit extinctum, tandemq; tranquilla placidaq; pax vniuersum orbem terrarum occupauit. Neque amplius bella, neque multi dii neq; pugnae in agris, vrbibusq; exiterunt, sicut ante, cum dæmonum cultus vigeret, neq; sanguinis inter homines effusio, sicuti quando insana illa in multis diis colendis amentia floruit.

**I**AM verò tempus se offert noua cum veteribus conferendi, & statum rerum ex deteriore in meliorem conditionē commutatam considerandi, seduloq; expendendi peruidendiq;, quo pacto olim porticus, fana, nemora & tēpla, in singulis vrbibus artificiosē extructa elaboratāq; essent: delubra multis admodum monumentis decorata: creber & celebris de diis sermo apud tyrannos, qui id temporis regnabāt: Gètes quoq; ac populi statuis in singulis agris locisq;, atq; adeo in edibus, in ipsis penetralibus, & thalamis erectis patrios ritus & ceremonias cum summa obseruantia executi sunt. Quibus quidem non is pietatis fructus, qui iam nobis obtigit, nimirum pax mutua, quam modo vigere quisq; oculis cernere potest: sed omnia contraria, vt bella, pugnae, seditiones: quibus quidem per totam vitam conquassati sanguine & cedibus intestinis suas ipsorum regiones compleuerunt. Dij autem quos celebrant, quamuis vaticinia, oracula, rerum quoque futurarum præensionem & scientiam illis, penes quos tum erat imperium, multis blanditiis adhibitis pollicerentur, suum ipsorum tamen exitum nec præcognoscere, nec sibi ipsi vaticinari norant. Quod quidē ad errorē & fraudē illorū perspicue coarguendā, est argumentū plane maximū. Neq; præterea quenquā eorū, qui quondam propter oracula in magna habebātur admiratione, seruatores nostri in mundū aduentū, neq; nouā diuinę cognitionis

ab eo

## EVSEBII ORATIO

ab eo hominibus propositæ prædicationem aliquando præ-  
 dixit: imo verò neque pythius ipse intellexit, neque quif-  
 quam alius ex præpotentium dæmonum numero, aut suam  
 euerfionem & vastitatem, aut quis eos esset expugnaturus,  
 præsignificauit, quisue funditus eos è medio sublaturus ef-  
 fet vaticinatus est. Quis porrò ariolus, aut vates, eorum de-  
 orum honores & cultus tum omnino extinctos fore, cum  
 puer quidam in mundo editus esset, cognitionemq; & syn-  
 ceram venerationem summi omnium imperatoris omnibus  
 hominibus traditam fore prænuntiauit? Quis hoc augu-  
 stum imperium, pietate eximium, quis istum ipsum victoré,  
 quis trophæa ab eo contra dæmones vbique terrarum ere-  
 cta, quis superborum simulachrorum quæ in locis excelsis  
 colebantur, vastationem præsciuit? Quis mortua illa, vete-  
 rum Heroum idola conflata fore, & ex forma plane inutili  
 in vsus necessarios commutata aliquando præmonstrauit?  
 Quis ex deorum numero aliquando mentionem fecit sta-  
 tuarum suarum, quæ iam sunt cõflata, quæq; cum omnium  
 irrisione euauerunt? Quo se contulerunt istorum propu-  
 gnatores, vt suis sacris monumentis ab hominibus expu-  
 gnatis subsidio esse non possint? Vbi nam inquam sunt,  
 qui antea bellum gerent, nunc vero suos expugnatores in  
 tranquillissima pace vitam degentes, conspicientur? Quo  
 tandem se receperunt, qui his tanquam diis confisi, inaniq;  
 adducti persuasione, animos ita sustulerunt, vt non solum  
 niterentur errorem ad summum perducere, verumetiam bel-  
 lum minime denuntiatum indictumve contra veritatis de-  
 fensores susciperent? Certe miseri misere & infeliciter pe-  
 rierunt. Quem locum iam occupat turba gigantum, qui lin-  
 guas exacuentes, impias voces in summum rerum omnium  
 gubernatorem iaciebant? Illi profectò multitudine deorũ  
 confisi, & effigies mortuorum in statuis inanimis expressas,  
 in bello tanquam propugnacula proferentes ipsi cum in-  
 gentibus copiis à Deo totius vniuersitatis moderatore pro-  
 fligati conecerunt. Hic noster lorica pietatis septus muni-  
 tusq; salutari & vitali signo crucis, veluti terriculo propu-  
 gnaculoq; malorum aduersariorum multitudini opposito,  
 ab hostibus, à dæmonibusque victoriam reportauit. Dein-  
 de grata animi voluntate inductus, preces ad gratias agen-  
 das,

das, Deo auctori victorię impertiit, claraque voce, atque a-  
 deo columellis erectis omnibus hominibus hoc signum tri-  
 umphale prædicauit, inque media vrbe, quę omnium prin-  
 ceptus est, hoc insigne trophæum contra omnes hostes erexit:  
 edixitque; palam, vt omnes hoc salutare signum, quod nulla  
 vetustate confici delerique; potest, cum Romani, tum totius  
 orbis terrarum imperij munimentum agnoscerent. Quod  
 quidem cum omnes homines scire, tum milites in primis  
 docuit, eosque; debere non in hastis, aliisque armis cuiuscun-  
 que generis illa essent, neque in corporum robore spem pone-  
 re, sed Deum omnium rectorem cum boni cuiusque, tum  
 ipsius victorię largitorem confiteri. Quare ad hunc mo-  
 dum imperator (o res auditu prope incredibilis) suo exer-  
 citui præcandi disciplinę magister factus est: piaque; orandi  
 præcepta sacrarum literarum institutis consentanea con-  
 gruentiaque; tradidit. Primum vt in sublime ad cælum ma-  
 nus tenderent, deinde vt sursum ad regem cælestem oculos  
 mentis subleuarent, eumque; vtpote victorię datorem, omniũ  
 conseruatorem, custodem, & adiutorem precibus inuoca-  
 rent: tum vt diem dominicam precibus conuenientem, præ-  
 cipuam reuera, primam & maxime salutarem, denique; nomen  
 ab eo duxisse, qui est lucis, vitę, immortalitatis & omnis bo-  
 ni auctor existimarent. Quinetiam ille ipse sibi præceptio-  
 num salutarium doctor factus, in ipsius regię penetralibus  
 seruatorem suum veneratur, & interdum precibus diuinis  
 cultus exequitur, interdum sacris literis audiendis mentem  
 suam erudit: Qui autem illi ministrant, inseruiuntque; sunt  
 homines Deo consecrati, qui verò custodes totius palatij,  
 sunt viri vitę grauitate & virtute eximij, qui denique stipen-  
 ditores satellitesque ad corporis defensionem designati, fir-  
 mis singularis beneuolentię armis septi, imperatorem sibi  
 pie religiosaque; viuendi magistrum existere profitentur. Im-  
 perator autem triumphale lignum honorat, diuinitate, quę  
 in eo est, re ipsa expertus. Nam isto, hostium multitudines  
 in fugam versę: isto, dei aduersariorum inanis ostentatio  
 compressa. Isto, petulantes maledicorum impiorumque lin-  
 guę ad silendum compulsę. Isto, barbara hominum genera  
 subiugata: isto, potestates dæmonum aspectum fugentium  
 abactę. Isto, superitiosę astutię & erroris ludibria refutata:

Isti

EVSEBII ORATIO

Isti deniq; cumulatam omnium bonorum, quibus fruimur, expletionem acceptam referens imperator, columellas triumphales, quibus illius decus illustretur, ubique terrarum collocavit. Quinetiam ecclesias, templa, ædes sacras, sumptibus ad eam rem liberali & regia manu suppeditatis, extruendas mandavit. Itaque extemplo magnifica imperatorie magnificentie opera in mediis provinciis urbibusque sunt, exiguoque temporis spatio in luce & oculis omnium gentium collocata: quæ quidem tyrannidem impiorum perspicue coarguerunt. Nam hi paulo ante mentis quadam infania ad bellum cum Deo gerendum impulsæ, virus acerbitalis & malevolentie sue contra inanima ecclesiarum ædificia (contra Deum enim non poterant) instar canum, rabie furentes euomuerant. In quibus est sublimi ad solum deturbatis, ex ipsisque fundamentis conuulsis, species urbis ab hostibus captæ euidenter expressa est. Hæc ab illis scelearum peracta fabula, in qua Deum oppugnare aggredientes, confestim amentie sue pœnas dederunt. Nam vix dum breue temporis curriculum præterierat, cum procella calitus importata vno momento obruti extinctique fuere: adeo ut neque genus, neque semen, neque vel minima memorie eorum significatio inter homines remaneret, sed omnes, licet permulti essent, plagis diuinitus inflictis excruciatæ, oppressique interirent. Atque illi ob rabiem contra Deum accensam, talem habebant exitum. Hic verò noster Constantinus, solus saluari crucis trophæo nixus, neque tamen solus (aderat namque illi, opemque ferebat, qui solus & verus rex est) templa noua illis, quæ ante diruta erant, multò præclariora exædificauit, posterioraque prioribus longe illustriora reddidit. Ac primum Constantinopolim varijs Dei exornauit ecclesijs: Deinde urbem totius Bythinie facile principem amplissimo pulcherrimoque templo decorauit: tum primarias cæterarum gentium ciuitates illustrauit ornamentis non dissimilibus: duoque monumenta præ cæteris eximia in oriente construere aggressus est: alterum in Palestina, propterea, quod inde, tanquam ex fonte salutaris fidei Christiane riuus ad omnes gentes promanauit: alterum in Metropoli orientis, quæ nomen traxit ab Antiocho. In qua, tanquam in urbe illius gentis ac regionis præcipua, ecclesiam tum e-

gregiam



gregiam propter magnitudinem, tum propter pulchritudinem cum primis eximiam, Deo dicauit. Vniuersum templū longis porticibus extrinsecus adiectis circumdedit: sanctuarium autem interius ad infinitā crexit altitudinem, illudq; forma solij octangularis variauit: multis ædiculis, exedrisq; vndique constructis circumsepsit, varijs denique cuiusque generis decorauit ornamentis. Ista quidem ad hūc modum erant, à nostro imperatore confecta. Quæ autem sequuntur in Palæstina ab eo etiam gesta fuere. In media vrbe, quæ apud Hebræos primas obtinet, non modo ecclesiam amplissimam, quæ ad memoriam salutaris passionis ædificata fuit, verumetiam templum sanctum salutari signo crucis dedicatum, magnificis & sumptuosis insignibus exornauit. Quinetiam monumētum seruatoris, quod sempiternæ memoriæ commendandum est, illiusq; trophæa cōtra mortem statuta, ornamentis, quæ dicendo exprimi non possunt, cohonestauit. Tria præterea loca tribus mysticis nostræ salutis antris nobilitata, amplis & eximiis illustrauit ædificiis. Primum illi antro, in quo Christus mundo primum apparuit, debitum decus impertit. Deinde ad illius antri memoriam, vbi postremò assumptus est, in montis iugo monumētum præclarum extruxit. Ad extremum, antrum illud inter hæc duo interiectū, vbi seruator totius suæ passionis quasi certamē obibat, victoriamq; mundo salutarem ab hostibus reportabat, templo extructo illustre reddidit. Ista omnia antra imperatoris opera & labore magnificum splendorem sunt consecuta. Qui & salutare crucis signum omnibus prædicat, & Deum qui eius pietatē large remuneratus est, omnē suam familiā, suamq; sedem imperatoriā amplificare, imperij tempus longo annorū curriculo stabilire, suisque probis liberis, ipsi generi, & successione eiusdē, fructus virtutis apud se reconditos habere, ingenue agnoscit, porro autē, hoc potentiā Dei, qui omniū censor est, quē Constātinus colit, manifesto declarauit, quod iustitiæ quasi talēta ex æquo distribuēs debita cōpensatione vtrūq; hominū genus remunerat<sup>o</sup> est. Nā illis qui ecclesias expugnauerāt euerterātq;, iusta merces impietatis ē vestigio inflicta: quippe stirpe generis, ædibus, laribus, familiaribus, hac luce deniq; extēplo priuati fuere. Hic autē, qui suū dñm variis pietatis honorarit officiis  
& in-

EVSEBII ORATIO

& interdum ædes plane regias ad eius gloriam illustrandam crexerit, interdum sacris monumentis vbique terrarum collocatis, suis illum commonstrarit subiectis. Deum reuera & familiæ, & regni, & generis conseruatorem ac custodem reperit. Hoc pacto igitur præclara Dei facta per diuinam salutaris signi crucis virtutem omnibus proposita sunt ad inuendum. De cuius laudibus his, qui se sacrarum literarum professioni consecrauerit, amplius dicendi campus suppetit. Nam hoc salutare signum reuera fuit (est quidem istud & incredibile dictu, & cogitatu plane admirabile) quod solum simul ac in terris visum fuit omnes commentitias fabulas quæ ab initio de diis confictæ fuissent, omnium oculis subiecit, & sicut errorem tenebris obruit & obliuione, sic lumen mente sola perceptum, quo hominum animi illustratur, vnum videlicet ac verum Deum omnibus patefecit. Quocirca quisque ad Deum opt. max. totus conuersus, in mortuorum simulachrorum vultus expuit, execrabiles ritus quibus dæmones coli solebant, pedibus conculcat, inueteratum errorem à maioribus traditum iridet. Qui autem sacrarum literarum quasi scholas vbique hominibus aperiunt, hi illos perquam salutaribus præceptis erudiunt, vt deinceps neque creaturam, quæ oculis corporis cernitur, suspiciant ac venerentur, neque obtutu sursum ad solem lunam & stellas sublato, in eorum admiratione hærent, sed qui supra has res domicilium habet, quique sub aspectum non cadit, eum conditorem vniuersi fateantur, eum solum cultu & veneratione prosequi discant. Istud igitur eximium & admirabile crucis signum, tot tantorumq; bonorum hominibus causa extitit: cuius vi & facultate quæ praua erant, sublata sunt: quæ autem ante non erant, iam apud omnes claris pietatis radiis elucent. Nam præcepta, monita, hortationes ad vitam modeste piæque degendam, omnium gentium aurbus inculcantur, Ipseque imperator idem ipsum prædicat. Atque hoc certe cum primis admirandum videtur, quòd tantus ac tam præpotens princeps, velut summi imperatoris Dei propheta clarissima voce vniuerso mundo clamat, omnesque qui sunt in ipsius ditione, quique ipsius cura operaque assidue pascuntur, ad veri Dei cognitionem inuitat. Quinetiam in media regia, non vt ante fieri solet, stultæ ac

vana

vanæ impiorum hominum turbæ, sed sacerdotes & admini-  
 stri Dei pietatis insignibus egregie ornati, præclaris hym-  
 nis decantatis conuentus celebrant, Vnus Deus moderator  
 vniuersitatis, omnibus annunciatur. Euangelicus sermo,  
 qui omnia bona nobis pollicetur, humanum genus Deo o-  
 mnium rectori coniungit: Patrem cælestem filiis suis, qui  
 sunt in terra, propitium & beneuolum esse ostendit. Eum  
 chori triumphalibus cantilenis cuiusque generis celebrant:  
 eum vniuersum mortalium genus vna cum cælestibus an-  
 gelorum turmis resonat: ei animi rationis compotes, corpo-  
 ribus, quibus circumclusi sunt, tanquam instrumentis mu-  
 sicis, hymnos decoros & eximios, diuinâsq; laudes concin-  
 nunt. Quinetiam qui occidentem incolunt, pariter cum  
 his, qui in locis versus orientem habitant, ad eum eodem  
 temporis momento collaudandum, ipsius præceptis perdo-  
 cti sunt. Et qui versus boream domicilia rerum suarum col-  
 locarunt, simul cum illis, qui regiones versus meridiem ac-  
 colunt, vno concentu eum prædicant: pium viuendi genus  
 confectantur iisdem moribus & institutis instructum: vnum  
 Deum patrem omnium gubernatorem, prædicatione effe-  
 runt: vnigenitum eius filium, seruatorem nostrum, omniū  
 bonorum authorem profitentur: vnum etiam imperatorem,  
 orbem terrarum moderantem, piosque eius filios Cæsares  
 agnoscunt. Iste verò, non aliter atque sapiens gubernator  
 in alto loco constitutus sublimis tranat, æuumque nostrum  
 regit: ac recto cursu incedens, clauum tenet, & omnes qui  
 ipsius parent imperio, secundo vento ad tutum & tranquil-  
 lum portum perducit. Atque Deus ipse, qui summus om-  
 nium imperator est, vt in hac vita, dextera sua ad opem illi  
 ferendam cælitus demissa, omnium inimicorum aduersari-  
 orumq; effecit victorem, imperiūq; principatum longinquo  
 annorum circuitu amplificauit: sic post discessum è vita, il-  
 lum bonorum multo præstabiliorem participem facturus  
 est, req; ipsa promissa sua ei cumulate præstaturus: de qui-  
 bus accurate differere præsens tempus non sinit, sed vsque  
 eo expectandum, quoad illo fuerimus profecti: Quando-  
 quidem cælestia præmia, neque mortalibus oculis possunt,  
 neque auribus corporeis omnino comprehendi.

X x

Sequi-

EVSEBII ORATIO

**S**equitur iam vt tibi, (Constantine victor illustrissime) in hac tua regia, diuinarum arcanarumque literarum mysteria de summo omnium imperatore Deo tradita, ex scripto recitemus: non quo te rebus sacris instruamus, qui sapientiam à Deo didiceris, neque quo tibi secreta Dei aperiamus consilia, cui Deus ipse multo ante quam nos verba apud te facere aggressi sumus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per ipsum Christum communem omnium seruatorem, perque diuinam suam visionem, quæ sapenmero tibi illuxerit, occultas inuolutasque sacrorum mysteriorum notiones patefecerit, reseraritque: sed quo imperitos homines ad lucem cognitionis deducamus, tuorumque pie & sancte factorum rationes causasque ignaris & insciis perspicue proponamus ad contemplandum. Nam tametsi que ad summi huius vniuersitatis moderatoris Dei cultum & honorem illustrandum in dies per totum orbem terrarum à tua virtute præclare geruntur, omnium mortalium celebrantur sermonibus: tamen monumenta, quæ in nostra patria, Palæstinam dico, inque ea ciuitate, vnde salutaris Dei sermo, velut ex fonte, ad omnes homines profluxit, sunt tuo propugnatori ac seruatori ad gratias illi agendas collocata, trophæaque victoriæ contra mortem partæ in ecclesiis & templis Deo consecratis erecta, excelsa denique, eximia, magnifica, & vere regalia opera ex tua regali mente profecta, & ad salutarem immortalitatis memoriam extructa, causam, quæ te ad veram pietatem colendam impulerit, in luce atque in oculis omnium defigunt. Atque vt alij virtute & instinctu sacri spiritus illuminati, res vere diuinas intelligunt agnoscuntque, te iure propterea & admirantur, & beatum prædicant, quòd mens tua & appetitio ad has res gerendas diuinitus incitata fuit: sic nonnulli, qui sunt rerum diuinarum penitus ignari, institutum tuum pro inscitia, ludibrio & cachinno ducunt: quippe indecorum, & minime omnino consentaneum putant, vt tam potens imperator suum studium & operam ad monumenta ac sepulchra corporum mortuorum construenda conferat. Quinetiam, dixerit aliquis, an non satius esset patrios ritus & instituta seruare, & heroas ac deos, qui à singulis gentibus

*Hierusalem.*

bus coluntur, venerari, eosque minime illarum calamitatum causa, quas nuper acceperint, aut detestari aut fugere? Aut enim illos perinde atque hunc praesertim cum earundem calamitatum cum illis sit particeps, in deos reponere debemus, aut si illi propterea sint abijciendi quod rebus incommodis & aduersis, vt captus hominum fert, obnoxij sunt, eadem de isto sententia merito ferenda est. Ista fortasse aliquis eorum, superciliis admodum contractis, dixerit: qui quidem & sua opinione sibi videtur sapiens, & suam inanem insolentiam arroganter ostentat. Atque benignus clementissimi patris filius, Dei sermo, non huic solum, sed aliis omnibus, qui per errorem lapsi sunt, inscitiam condonat: à quo etiam piæ exercitationis & doctrinæ præcepta per vniuersum orbem disseminata: à quo homines in regionibus quibusque, in vicis, agris, solitudinibus, & ciuitatibus habitantes, vndique ad diuinarum rerum disciplinam perdiscendam enixè accersiti: à quo tanquam à misericordie seruatore & medico animorum Græci simul & Barbari, sapientes & insipientes, pauperes & diuites, serui & domini, principes & subiecti, impij, iniusti, imperiti, flagitiosi, blasphemij ad Dei cultum accedere, maturareque iussi. Nam scelerum, quæ iam ante admiserint, se obliturum denuntians, clara voce sic clamat: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et rursus: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Causamque adiungit: Non enim est opus valentibus medico, sed male habentibus. Et alibi: Nolo mortem peccatoris, sed vt se pœniteat. Hinc vero ei, qui causas rerum suprapositarum peruidet, cogitatio subit tum ad assentiendum, solum imperatorem nostrum instinctu quodam, qui supra hominem putandus est, res diuinas didicisse, tum ad modum pietatis eius, vehementer admirandum: tum ad credendum, illum non sine impulsu diuino, imo verò Dei optimi maximi reuera afflatu, cuius spectatum famulum, bonorumque ministrum se esse gloriatur, in monumento illo salutis & immortalitatis extruendo operam & laborem suum collocasse. Hæc tibi, imperator potentissime, grata in primis & iucunda esse pro certo persuasus, rerum piè & religiose abs te gestarum rationes

*Christum  
inselligit*

*Matt. 11.*

*Mat. 9.*

*Ezech. 18*

EVSEBII ORATIO

causasq; hoc presenti sermone omnibus explicare constitui: quippe optavi me esse & mentis tuæ interpretē, & quasi nuntium animi tui sanctissimi, quo omnia illa, quæ discenda sunt, impertiam cuique desiderio flagranti cognoscendi verba ac promissa virtutis Dei, & seruatoris nostri, propter quæ ille, qui erat ante omnia secula, vniuersitatisq; curam & moderationem habebat, tandem è cælo ad nos descendit: propter quæ naturam humanam induit: propter quæ denique morti se obtulit: atque non solum vitæ immortalis, quæ deinceps futura est, & à mortuis resurrectionis, causas, verumetiam certas demonstrationes, perspicuaque documenta illis, qui adhuc earum rerum cognitione egeant, comonstrauit. Verum tempus postulare videtur, vt hoc loco de his differere ingrediamur. Illi quidem qui cultum fabricatoris mundi & vniuersarum rerum moderatoris Dei, ad res ab eo procreatas transtulerint, & solem, lunam, cæterasque mundi partes, atque adeo prima elementa, terram, aquam, aerem, ignem pari veneratione cum eorum effectore & opifice obseruarint, resq; istas appellarint deos, quæ neq; extitissent vnquam, neq; essentiam nomēve habuissent, nisi verbo Dei, quo mundus conditus est in lucem æditæ fuissent, perinde fecisse mihi videntur, atqui hi, qui architectū magnificorum operum, quæ in regia cernuntur, contēnunt, & tecta, muros, picturas quoque in eisdem magna colorum & artificij varietate collustratas, inaurata etiam opera, lapidumq; cælaturas admirantur, illisque ipsis tum honorem artificis, tum nomen attribuunt, cum æquum & consentaneū sit, non rebus illis sub aspectu subiectis, sed soli earum architecto causam admirabilitatis ascribere, & multiplicia esse sapientiae opera confiteri, eumque solum sapientem, qui tam multis operibus, vt talia sint, causa & author existat. Quinetiam illi nihil à pueris admodum infantibus differre videtur, qui lyram septem chordarum instrumentum, suaue plane concentum fundens, admirantur, compositionis autem quæ in eo cernitur, inuentorem & artificem minimè propter sapientiam suspiciūt: aut qui neglecto duce, qui in bello gerendo victoriae author fuit, hastam, & scutum triumphalibus coronis decorare student, aut qui in ciuitate forū, plateas, ædificia, templa inanima, & gymnasia pari honore affi-

afficiunt, cum potente rege, qui tam illustrem & regalem ciuitatem condiderit: præsertim cum non columnas, neque lapides, sed sapientem conditorem, qui tale opus construendum, & præclaris instituendum legibus curauerit, suspicere venenarique oporteat. Eodem modo illi qui hoc vniuersum oculis corporeis contemplantur, non soli, neque lunæ, neque vlli alii corpori cælesti causam illius debent attribuerè, sed hæc omnia sapientiæ opera confiteri: horum effectorem & opificem celebrare, eum honore & cultu profèqui, aliis rebus vniuersis præponere, & ex istarum rerum aspectu summum moderatorem Dei sermonem, qui non amplius oculis corporis cerni potest, sed sola mente sincera ac pura percipitur, cum omni animi affectione ac studio diuinis laudibus ornare, sanctè & augustè colere. Nam nemo aliquando sapientis & periti vel oculos, vel caput, vel manus, vel pedes, vel reliquas partes, quæ in humano corpore hærent, sapientes dixerit, tantum abest vt pallium, quo circumuestitur, aut domus supellectilem, aut alias res ad vsum necessarias sapientes appellarit: sed prudens quisque mentem ab oculis & aspectu seclusam admirari & suspicere voluerit. Qua ratione inducti, vnigenitum Dei sermonem, quem nullus oculorū sensus & obtutus capere potest, qui que hanc vniuersitatem & decora specie exornat, & prouidentia moderatur, præ operibus totius mūdi in cernedi sensum incurrentibus (quæ quidem corpora sunt, & ex vna eademq; materia concreta) in summa admiratione habere debemus. Quem omnium conditor omnem essentiam longissime superans, ex se ipse genuit. Ducem & gubernatorem huic vniuersitati præfecit. Nam cum fieri non posset, vt hæc fluxa & fragilis corporum essentia, naturaq; animantium rationis participium ad Deum patrem rectorem vniuersi, propter incredibilem illam excellentiam, qua ab eo superatur, appropinquaret. (Ille enim ingenitus est, longissime supra huius vniuersitatis verticem situs, qui verbis exprimi, ad quem accedi appropinquare non potest, qui lucem inhabitat inaccessibilem, vt sacra loquuntur literæ: hæc autem ex nihilo concreta est, longissimo & maximo interuallo ab illa natura quæ minime genita fuit distincta diuisaq;) non sine causa Deus pater moderator vniuersi, vtpote clemen-

1. Tim. 6.

EVSEBII ORATIO

tissimus diuinum & potentissimum eius vnigenitū sermo-  
 nem, qui proximus et intimus illi est, qui se ad nos à summo  
 illo paradisi fastigio delapsos benignissime demisit, nostrā-  
 que naturæ fuit quodammodo conformatus, mediatorē in-  
 terposuit. Nam neque pium sanctumve reuera fuisset, illum  
 summum omnium gubernatorē, Deum patrem, cum caduca  
 materia, mortalisve corporis natura copulasse. Quapropter  
 Dei sermo huius vniuersitatis gubernacula promiscue susci-  
 piens, eiusq; quasi habenas manuprehendens, facultate qua-  
 dam diuina, & ab omni concretione mortali libera regit, du-  
 cit, & quatenus ipsi videatur consentaneum, summa cum sa-  
 pientia moderatur, huius sermonis vis ac potentia hinc li-  
 quido constare poterit. Nam si illæ mundi partes, quas pri-  
 ma elementa vocare solemus, terram dico, aquam, aerem, ig-  
 nem, quasque oculis cernimus, eadem per se consistant, si v-  
 na omnibus rebus subiecta essentia, quam *πανδοχον*, id  
 est omnium capacem, quam matrem, quam denique mere-  
 tricem philosophi in his rebus describendis disertis, appel-  
 lare consueuerunt, si eadem ipsa forma ac specie careat, si o-  
 mnino animæ rationisque expers sit, vnde ornatus, dixerit  
 aliquis ei ingeneratur. Vnde elementorum in ea distribu-  
 tio? vnde rerum contrariarum concursus & coherentia?  
 Quis grauem terræ molem in humida natura natare vehiq;  
 præcepit? Quis naturam aquarum deorsum labentem, retro  
 contrario motu cieri & sublimem in nubibus ferri compu-  
 lit? Quis ignis naturam & vim sic compressit, vt in lapidi-  
 bus delitesceret, quisve eam cum rebus natura contrariis  
 commiscuit? Quis frigidum aerem cum vi ignea copulauit,  
 pugnaq; miscua dirempta, eas res quasi reduxit in gratiam?  
 Quis mortale genus successionis serie excogitata ad im-  
 mensum æuum instar vitæ immortalis propagauit? Quis  
 ita marem & fœminam formauit, quisve ambos sic vno con-  
 sensu colligauit vinculo, vt omnia animalia ab illis princi-  
 pium sui ortus ducerent? Quis semen, cuius natura cadu-  
 ca, fœda & fluxa est, ita immutauit, vt animans ab eo edere-  
 tur? Quis has res omnes aliasque infinitas, quæ multo plus  
 habent admirationis, etiam adhuc efficit? Quis singulis  
 diebus atque adeo horis, harum rerum ortus maturitatesq;  
 occul-



occulta & recondita vi perficit? Certe istarum vniuersarum admirabilis Dei sermo est author & causa reuera existimandus. Nam hic omnipotens & verus Dei sermo per omnia se diffundens, & fursum in sublime, deorsum autem in profundum se facultate quadam corporis experte porrigens, & in latum longumque per hanc vniuersitatem pertinens, eam quasi larga manu compræhensam continet constringitque, seque ipse velut instrumentum, quo vndique in vnum compingitur, in eo defigens, essentiam corporum ratione, forma, ac specie carentem, vi quadam solertissima, exquisitissimaque torquet, versatque: & ea quæ sunt admodum disuncta, tanquam lapidibus frontatis ex vna parte operis ad alteram in vnum cogit. Ipsum etiam solem, lunam, & cætera cælestia luminaria ratione quadam inexplicabili gubernans, ad totius vniuersitatis commodum, quasi manu ducit. Idemque ipse Dei sermo, in terram se demittens, varia cuiusque generis animalia, multiplices quoque, & ad aspectum præclaras plantarum formas procreat. Quinetiam in profundos maris recessus penetrans natantium belluarum genus effinxit. Ibiq; infinitas & innumerabiles animantium omnis generis formas ac differentias progignit. Idem etiam ea quæ sunt in vtero concepta, intus tanquam in officina naturæ perficit, animalisque formam illis impertit. Idem porro fluitantem & grauem humidæ essentiæ naturam, primum in sublime tollit, deinde mutatione quadam dulcem efficiens, in terram moderato lapsu demittit, temporibusque certis ac definitis eam subministrat, atque velut optimus agricola, agros commode rigat, & humido cum sicco temperato, eos rebus cuiusque generis æquabili distributione concinnat, modò venustis floribus vestiendo, modò herbarum formis cuiusque generis illustrando, modò suauibus odoribus condiendo, modò variis fructuum generibus decorando, modò denique sapes ex illis ad gustum hominum oblectandum largiendo. Sed quid est quamobrem ipse sermonis Dei virtutes persequi audeam, præsertim cum earum vis omnem mortalem cogitationem longe superet, remq; quam nemo efficere aut consequi possit aggrediar. Hunc quidè alij naturam vniuersi, alij totius mundi animam,

alij fatum, alii ipsum summum omnium moderatorem Deū nominare solent: resq; inter se diuersissimas longissimeq; distantes, nescio quo pacto permiscendo, ipsam summam patris virtutem, quæ cuncta moderatur, quæq; infinita est, e sublimi in terram depressam, cum corporibus ac caduca materia commixtam, & inter res mortales & immortales mediam interiectam volutari asseuerant. Atque hæc quidem isti ad hunc modum.

**D**iuina autem sacrarum literarum doctrina, eum summum omnium bonorum authorem & causam esse, omnem humanam comprehensionem superare asserit, & propterea neque verbis describi, neque oratione exprimi, neque nomine appellari, neque voce proferri, neque vlla cogitatione percipi posse, neque corporibus, neque cælo, neq; æthere, neque vlla parte vniuersi circumscriptum esse, sed vbiq; & extra omnia arcanum & inexplicabilem quendam cognitionis recessum abditum & abstrusum. Hunc solum verum Deum agnoscendum diuina tradunt eloquia: qui & ab omni essentia corporea secretus est, & ab omni seruili ministerio alienus. Quapropter ex ipso omnia, non autem per ipsum exitisse dicuntur, sed ipse velut imperator intus in reconditis & inaccessis adytis, lucem inhabitans perpetuo inaccessibleem, sola libera & voluntaria sua potentia omnia moderatur ac regit. Nam eo volente existit, quicquid existit, & eo nolente non existit. Vult autem omnia bona, quoniam ipsum bonum reuera ille ipse est. Deus autem sermo, per quem omnia, ab omni æternitate à benigno patre, tanquam à perenni & immenso fonte instar fluuij erupens, fluit, omninoq; ad communem rerum vniuersarum salutem & conseruationem dimanat. Atque vt exemplo in communi vita posito rem ante oculos statuam, mens nostra, quæ incernendi sensum minime cadit, quænam & qualis essentia sit, nemo homo vnquam nouit: velut rex, qui intus in secreto suo cubiculo se continet, sola quæ agenda sunt, consilio prouidet: oratio, quæ ex ea fata egreditur, & ex eius recessu non aliter quàm ex parentis gremio ratione plane ineffabili, & vi quadam, quæ verbo explanari nequit, ædita est, prima paterna sensa & cogitationes omnibus denunciat, eaq; quæ

quæ erant in paternis penetralibus deliberata palam prædicat, réque ipsa efficit, vt consilia parentis ad omnium aures perueniant. Deinde qui orationis sunt facti participes, utilitatem & fructum inde percipiunt. Et tamen, mentem quæ est in occulto abdita abstrusaq; quæ quidem orationis parens est, nemo vnquam oculis aspexit. Eodem modo (imo verò nulla imagine & exemplari describi potest) perfectus Dei omnium regis sermo, vtpote vnigenitus patris filius, qui neque ex prolatione constat, neque ex syllabis, nominibus, aut verbis efficitur, neq; voce acris adiuuamento efficta formataq; exprimitur, sed Dei omnium rectoris. Viuus & efficax sermo est, & cum eo essentia subsistit, tanquã virtus Dei, & Dei sapiëntia ex patris diuinitate & regno egreditur: quiq; bonum boni patris germen, & communis omniũ seruator est; omnia quæ sunt vitæ participia suæ gratiæ fluentis perfundit, & rationis, sapiëntiæ, lucis, & omnium bonorum quasi riuos ex sua ipsius plenitudine deducens, non modo ea quæ ipsum quodammodo contingunt, inque proximo sunt polita rigat, verumetiam quæ longo interuallo distat, inq; terra, mari, aut si quæ alia sedes domiciliumve rerũ vsquam sit, versantur. Quibus vniuersis fines, regiones, leges, & certas velut hæreditates præscribit, suaq; regia potestate ea, quæ apta conuenientiãq; sunt, singulis tribuit, suppeditatque: & nonnullis orbes illos, qui mundi verticem superant, aliis ipsum cælum, quibusdam sedes æthereas, multis aerem, non paucis terram ad incolendum assignat: Deinde hinc in alia loca rursus transfert: singulas animantium vitas accurate distinguit, indoles & consuetudines morum alias aliis impertit. Victum & alimentum non modò quibus insit ratio, sed his etiam quæ eadem careant, quæq; ad vsum eorum, quæ habent rationem, procreata sint, præparat: & his vitæ mortalis & caducæ largitur vsuram, illa immortalis vitæ participia reddit, omniaque pro suo arbitratu, vtpote Dei sermo efficit: omnibus præsto adest, omnia diuina vi tranat: & obtutu in sublime ad patrem sublato, pro illius voluntate ac nutu res inferiores, & quæ ipsi substrate sunt, apre & conuenienter, velut communis omnium cõseruator, gubernat: seq; medium quodammodo interponit, & essentiã, quæ ortum habet, cum ea, quæ æterna est, coniungit. Quippe idẽ

Iohan. I.

ipſe Dei ſermo eſt tanquam firmum vinculum interiectum, quo eâ quæ intercapedine diſtant, tum colligantur, tum impediuntur, quo minus longius alterum ab altero dilabantur. Hic prouidentia eſt, qua res cunctæ adminiſtrantur, hic curator & rector vniuerſi, hic vnigenitus Dei filius ex Deo patre genitus, Deus verbū. Nam in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factū eſt nihil, quod factum eſt, ſicut ſacrarum ſcripturarum voces docent. Hic communis omnium ſator, cuius vi res vniuerſæ oriuntur, pubeſcunt, & imbribus ab eo demiffis, in omne tempus irrigatæ recētem ac nouam in dies viriditatem & pulchritudinē inſignē vniuerſitati afferunt. Hic vniuerſitatis quaſi habenis manu prehenſis, eam paterno nutu recto curſu ducit, ingensq; totius mundi velut nauigium gubernat, regitq;. Igitur ſummus omnium moderator, filium vnigenitum, talem tamque præclarum artificem, tanquam fœtum excellentem ex ſe vtpote pater progignens, eum mundo bonum plane maximū largitus eſt, eumq; ipſius dico ſermonem velut animum in corpus inanimatum, naturamq; corpoream rationis expertem quodammodo incluſit & eſſentiam forma, ſpecie, anima, & figura carentem diuina eius vi illuminauit, in eaq; vitam inſeuit. Quem quidē & intelligere & mente complecti debemus in materia & elementis, ex quibus corpora concreta ſunt, perpetuo inſidere, & vitam omnibus impartiri: eumq; ipſum, germen, & lumen eſſe à lumine ineffabili profuſum, & licet vnum eſſentia, vtpote ex vno patre genitum, multas tamen facultates in ſe continere. Neq; tamen quanquā multæ partes, mundi ſunt, propterea putādum multas eſſe facultates quibus regitur, neq; quoniam multæ ſunt creaturæ, idcirco multos deos ſtatueri conuenit. Nam liberi ac poſteriorum, qui multitudinem deorum inuexerunt, tanquam inſantes animis, graui errore ſe implicabant, dum partes mundi in numerum deorum referrent, atq; adeo vnum mūdum in multos non aliter diſpertirent, ac ſi quis homine vno poſito conſtitutoq;, oculos ſeparatim hominem eſſe diceret: aures itidem alium hominem: caput etiam aliū, collum, pectus, humeros, pedes, & manus ſimiliter: cætera præterea mēbra, minutatim diſtributa: ſenſuum quoq; facultates ratione diſtin-

distinctas, ad summam, vnum hominem esse complures affirmaret, sicq; nihil aliud efficeret, quam vt ipsius à sapientibus egregie irrideretur inscitia. Atq; idem de eo dici poterit, qui ex vnus mundi partibus infinitos sibi deos constituat: aut qui hunc mundum ortum habentem, & ex multis partibus conflatum effectumq; ipsum Deum esse arbitretur, quique non intelligat, diuinam naturam ex partibus non posse constare. Nam si concreta sit & coagmetata, altero à quo coagmentetur, egere necesse est, atq; diuina certe esse non potest, si ex multis constet partibus. Etenim qua tandem ratione cum ex diuersis disparibusq; rebus, quarum hæ meliores sunt illæ deteriores, compacta sit, simplex esse, partibus & coagmentatione carere, mundi deniq; descriptioni sub aspectum cadenti, antecellere queat? Quapropter ille veritatis præco, clara voce, sic quodammodo clamat: Dei sermo, qui est ante omnia, solus omnium hominum seruator est: Deus autem generationis author, qui dicendo exprimi nequit, cum solus omnium causa sit, ipsius sermonis, utpote vnigeniti filij propriè pater dici potest: qui nullam causam se ipso superiorem agnoscit: Quare solus ille Deus est: vnigenitusq; eius filius omnium seruator ex eo editus, vnicus Dei sermo, qui per omnia permeat. Quemadmodum lyra ex multis chordis constat, eisdemq; dissimilibus, quarum hæ acutæ sunt, illæ graues, & hæ contentæ, remissæ illæ, aliæ autem intermediae, omnesq; ad artem musicam apte admodum & concinne directæ, sic mundus iste sub sensum cadens, ex multis partibus conficitur, coagmentaturq; quarum natura partim frigida est, partim calida: humida partim, partim sicca, quæ inter se pugnant maximè: ex quarum æquabili temperatione, cum mundus affabre constructus est: fit quasi instrumentum & opus præpotente Deo dignissimum. At diuinus sermo neq; ex partibus constat, neq; ex rebus contrariis concretus est: quippe qui & partibus caret, & à coagmentatione alienus, quiq; scièter & perite hoc vniuersitatis, vt ita dicam, instrumentum pulsans, tum suo patri, moderatori omnium, convenienter concentum, tum sibi decorum fundit. Sicut in vno corpore multa membra, viscera et intestina fere infinita compacta sunt, vnusq; solus animus quæ per omnia diffunditur, mensq; vna partibus & corpore vacans: sicq; in hac vniuersitate mundus vnus, ex multis partibus constans, sermoq; dei itidem vnus, qui

*Colos. 1.  
Nō citat  
locū Pauli  
ad verbum,  
sed  
attingit  
solum.*

qui non multa solum, sed omnia potest, perq; omnia pertinet, & reuera dimanat: omnium deniq; author & causa est. Cum oculos ad vniuersum mundum intuemus adijcis, an non vides vnum caelum infinitas astrorum multitudines, quae in orbem torquentur in se complecti? Et rursus vnum esse solem, qui alia sydera, eorumq; omnium splendores sua larga immensaq; luce obscurat obtegitq;. Eodem modo vnus patris vnum esse verbum, benigniq; patris benignum filium necesse est. Quod si quis queratur quod plures non sint, talis etiam queri poterit, quod non sint plures soles, plures lunae, plures mundi, & de aliis rebus infinitis eodem modo: idq; infans more, qui res recte praclareq; natura constitutas, conatur peruertere. Quinetiam vt rebus sub aspectum cadentibus sol vnus vniuersum mundum sensibus comprehensum illustrat: sic in rebus mente & intelligentia perceptis vnus Dei sermo, qui oculis nevtquam aspici potest, quiq; omnipotens est, res illuminat vniuersas. Quippe in homine etiam vnus animus, & vna eius facultas particeps rationis, multarum quidem rerum artifex est: nam is multiplice cognitione imbutus & agrum colere, & fabricari nauem, & eandem gubernare, & aedificare domum aggreditur. Vnaq; in homine mens & ratio infinitas prope scientias capit. Etenim & geometriam & astronomiam tenet, & grammaticam rhetoricamq; & medicinae praecipua tradit, inque illis artibus quoque, quae manuum opera perficiuntur, versatur. Atque nemo haecenus plures animos in vno corpore inesse aliquando existimauit: neque multas in homine essentias propterea insitas esse censuit, quod multarum scientiarum capax sit. Si quisquam forte massam luti repperit, inq; ea deinde manu mollita & subiecta animalis effigiem imprimit, & caput alia figura, alia autem manus & pedes, oculos rursus alia, & genas similiter alia, alia etiam aures, os, nares, pedes, & humeros fingendi arte exprimat formetque, tametsi multae figurae partes, membraque in vno corpore artificiose fabricata sint, non tamen propterea totidem effectores, quot sunt figurae, extitisse censere, sed vnum omnino totius operis artificem agnoscere, eumq; laude & praedicatione necessario efferre debemus, qui vnus rationis vi, vnaq; facultate opus vniuersum construxerit. Idem etiam de toto mundo,

dici

dici potest, qui cum vnus sit, licet ex multis constet partibus, non tamen multas habuisse facultates, à quibus sit architectatus, putandus est, neque multi dij nominandi, sed vna solertissima Dei potentia, vnaq; Dei sapientia qua cuncta augmentantur, continenturq;, quæque vna vi ac virtute per omnes res peruadit, mundum vniuersum tranat, cuncta procreat, eis vitam largitur, vniuersis denique ac singulis corporibus elementisq; varia subsidia adiumenta que ex se ipsa suppeditat, existimanda. Pari ratione vna etiam eademque lucis ac solis impressio censenda est, quæ simul & aerem illustrat, & lumen porrigit oculis, & tactionem calefacit, & terram fertilem feracemq; reddit, & affert plantis incrementum, & temporis efficit vicissitudines, & siderum cursus regit, & cælum in gyrum torquet, & splendore exornat mundum, & immensam denique Dei potentiam omnibus planâ facit. Ista omnia vna naturæ vi perficit. Quinetiam natura ignis eandem habet rationem: nam eius ardore aurum purgatur, liquefit plumbum, cera molliitur, durefcit lutum, humida arefcit materia: tot tamque diuersæ res vi ignea conficiuntur. Eodem modo de Dei sermone rectore omnium dicere possumus, Ille namque per omnia permeat, in omnibus inest, per res cunctas, tam cælestes, quam terrestres peruagatur, res abstrusas & à sensu oculorum remotas gubernat, ipsum solem, cælum, mundum vniuersum, arcana quadâ & inexplicabili vi regit, facultatq; efficaci omnibus præsto adest, per omnia denique incedit. Quinetiam solem, lunam, & stellas, luce ex suo æterni luminis fonte hausta collustrat. Cælum velut effigiem suæ ipsius magnitudini simillimam maximæque coherentem formauit, idemque in perpetuum moderatur. Porro angelorum spirituum, essentiarum mente & ratione sola perceptarum, vitæ & lucis, sapientiæ & omnis virtutis, honesti & boni cuiusque potestates, supra cæli & mundi fastigia sitas, suis ipsius sapientiæ & diuitiarum thesauris complet. Itémq; vna eademq; quasi architectandi arte, tum elementis essentias suas, tum cæteris corporibus mixtionem temperationesq; suppeditare nunquam desinit. Iam verò formas, figuras, qualitatésq;, tum in animalibus, tum in plantis, tum in animabus ipsis, siue rationis participes sunt, illæ quidem, siue expertes, alias alio modo

infinita

## EVSEBII ORATIO

in finita varietate distinguit: omnibusq; omnia vna vi subministrat, & perspicue ante oculos cuiusque proponit, vnum hunc mundum tam apte & concinne compactum constructumque opus esse sermonis Dei, qui mundi opifex dicitur, non autem lyram, quæ vel ex septem chordis, vel ex pluribus constat.

**D**Einceps causam, cur Dei sermo ad homines descenderit, oratione explicare aggrediamur. Humanum genus quonam præmentis inscitia, minime secum considerabat, istum Dei sermonem celo & terræ præsidere, eum ex ipsa patris diuinitate, tãquam ex fonte editum esse, huic mundo præsto adesse, inq; eo versari, claraque suæ prouidentia & curæ erga homines indicia præbere, idcirco venerandum Dei nomen soli, lunæ, celo, & syderibus tribuerunt, Neque hic gradum sistebant, sed terram etiam, fructus ex ea editos, alimenta corporum cuiusq; modi in deorum numero habuerunt: quippe Cereri, Proserpinæ, Baccho, & aliis his similibus simulachra fabricabant. Neque porro his contenti acquievere, sed suæ ipsorum mētis cogitationes, & ipsam adeo istarum interpretem orationem, deos appellare non sunt veriti: ac mentem Mineruam, orationem autem Mercurium vocarunt, eiusque facultates, quibus scientiæ percipiuntur, Mnemosynem, & cæterarum musarum nominibus nuncuparunt. Neque hic certe finem suæ stultitiæ statuerunt, sed extra modum impietate progressi absurdæ ipsorum peruersitati, in dies quasi accessiorem adiungere, & suas animorum perturbationes, quas auersari, rectaque ratione sanare oportuerat, in deos reponere, ac non cupiditatem solū & grauem illum intemperantemq; animorum morbum, sed partes & membra corporis, quæ homines ad turpia flagitia pertrahunt, nimirum amorem, priapum, & Venerem, qui sunt ad obscenas voluptates effuse procliues, res deniq; alias de genere eodem, deos dicere cœperunt: neque hic sane ab illis desitum est, sed ad corporum ortus, & ad hanc fragilem mortalemq; vitam prolapsi, homines mortales considerare, eos post mortem hanc vsitatam & communem, Heroas & deos nominare: quippe immortalem diuinamq; essentiam, ac vim, circiter eorum monumenta atq; sepulchra obser-



obseruari suspicati sunt. Neque adhuc eorum amentia exitum habuit, sed procedens longius, tum alia genera animalium ratione carentium cuiusque modi, tum serpentes maxime venenatos, sancta Dei appellatione honorare. Neque hic cessatum est, sed excisis arboribus, & lapidibus è terra effosis, metallis etiam, vt ære, ferro, aliaq; eius generis materia conquisitis, primum effigies foeminarum, masculorum figuras, ferarum etiam & serpentium species formare & effingere: deinde his honores adhibere. Neque in hoc nequitia gradû constiterunt, sed simulachris in occulto delitescens, recessibus quoque obscuris, malignis dæmonibus viscera animantium subeuntibus, qui victimarum libamenta & nidores vorant, deorum nomina tribuere, progredi prætereà vltèrius & præstigiæ infandarum, quasi vinculis, execrandisq; & violentis cantibus incantationibusq; potestates ab oculis seclusas, perq; aerem volitantes, sibi velut assessores attrahere. Itemque alij alios mortales in deos referre. Nam græci Bacchum, Herculem, Aesculapium, Apollinem, nonnullosq; alios homines Heroum & deorû nominibus donauerunt Aegyptij, Horum, Isidem, Osyrim, & homines hisce similes, deos arbitrati sunt, qui quidè etsi propter eximiam & singulatam suam sapientiam, Geometricæ, Astronomiæ, & Arithmeticæ inuentionem sibi vendicabant, non tamen, licet essent sapientes, nouerunt intellexeruntve vel diuinæ potentia mensuram, vel quantum inter illam, & naturam mortalem rationisque expertem intersit, expendere rationeq; lustrare. Quapropter omnes bestiarum deformium species, omnia animalium genera, serpentes etiã venenatos, & feras agrestes, deos appellare nõ sunt veriti. Phœnices, Melcantharum & Vforum, & alios nonnullos mortales homines, eosq; ignobiles & abiectos, deos vocauerunt. Arabes itidem, Dufarim quendam, & Obdum: Getæ Zamolxin: Mopsion, Cilices: Thebani Amphiareum pro Deo colebant. In aliis locis alij rursus alios, qui à natura mortali nihil differunt, sed reuera homines sunt, venerabantur. Ad summam igitur, Aegyptij, Phœnices, Græci, & vniuersum mortalium genus, quod solis radiis collustratur, tametsi partes mundi, elementa, fructus, qui è terra efferruntur, suas ipsorum perturbationes, furores dæmoniacos,

cos,

cos, visa, & quæ his multo flagitiosora sunt, deorum adulteria, nefandos cum masculis concubitus, mulierum raptiones satis agnoscebant, nihilominus tamen quamque civitatem, pagum & regionem delubris, simulachris, & templis his rebus dedicatis compleuerunt: moribusque illis dijs similibus animos suos perdiderunt. Itaque tum deos, tum illos qui proxime ad deorum naturam accedebant, Heroas dico & bonos genios, verbo quidem apud illos audire licet, res tamen ipsa penitus cum his nominibus pugnat. Nam rebus turpibus ac flagitiosis honos ab illis tributus est. Quemadmodum si quisquam eum solem & luminaria caelestia cuiquam demonstrare coepit, non in sublime oculos tollat, sed manibus deorsum in terram demissis, & humi in solum proiectis, in luto ac cæno virtutes ac potestates caelestes inuestiget: sic humanum genus mentis infertia, & nequam demonum fraude inductum, divinam essentiam, quæ sola mente comprehenditur, quæque supra cæli mundi que verticem sita est, infra in corporum ortu, in mortalium perturbationibus, in morte denique inesse sibi persuasum habuit. Ac nonnulli eo venere dementiae, ut res sibi charissimas illis sacrificarent, neque suæ ipsorum parcerent natura, sed vnigenitos & charos suos liberos, furore & mentis alienatione impulsis, mactarent. Atque quid, quæso, poterat magis insanum esse ac furiosum, quam homines sacrificare, & civitates vniuersas, atque adeo suas ipsorum aedes, suorum cæde & sanguine polluere? An non Græci harum rerum testes sunt? an non historia tota earundem commemoratione referta est? Phœnices enim quotannis charos & vnicos liberos Saturno immolabant? Idem à Rhodiis erat factitatum: quippe pridie Non. Maij homines mactabant. In Salaminij etiam intra vnum ambitum delubri Mineruæ agraulidis, & Diomedis, vir quidam incedens, ter aram curriculo circuiuit: cuius deinde pectus sacerdos confixit hasta: post in rogo aceruato extructoque totum cremavit. Itemque cædes hominum, quæ in Aegypto fiebant, vix numerari possunt. Nam Heliopoli tres homines in dies singulos sacrificabant: pro quibus Amoses eorum rex, cum rem crudelem esse & plane immanem intelligeret, totidem homines cereos immolari præcepit. Quinetiam in chio, omadio Baccho

cho

cho hominem discerptum offerebāt: Et in Tenedo eodem modo. Porro Lacedamone victimam ex hominibus confectam immolarunt. Idem factum fuit à Cretenſibus, qui Saturno hominem ſacrificabant. Laodiceæ quoque, quæ eſt vrbs Syriæ, virgo quotannis olim Mineræ immolari ſolet, iam verò ceruus. His accedunt Lybies & Carthaginenſes, qui hominibus ſacrificandis deos ſuos & dæmones placare aggreſſi ſunt. Arabes etiam in annos ſingulos puerum exſacrificabant, quem ſubter aram ſepeliuere. Itemque omnes Græcos ex communi quadam conſuetudine hominē prius mactaſſe, quàm ad bellum exirent, manifeſto docet hiſtoria. Thraces præterea & Scythas idem feciſſe conſtat. Athenienſes quoque filias Leonis, & Erethei filiam mactatam fuiſſe commemorant. Quin adhuc etiam Megalopoli in die feſto Iouis Latriarij hominem interfici nemini obſcurum eſt. Iſtas res ita ſe habere philoſophi probatiſſimi ſuis teſtimoniis confirmant. Diodorus etiam, qui hiſtoriam ex variis bibliothecis collectam breuiter complexus eſt, memorat Lybies ducentos nobiliſſimos pueros Saturno palam ſacrificari, & nihilominus tamen trecentos alios ſacrificio addidiſſe. Porro Dionyſius rerum à Romanis geſtarū ſcriptor, narrat ipſum Iouem & Appollineum (hos enim nominat) in Italia ab originibus petiſſe, vt homines ipſis immolarentur: Eos autem hanc rem rogatos, omnium quidem fructuum decimas diis illis ſacrificari: ſed quoniam homines ſacrificare recuſabant, in varias cuiuſque generis calamitates incidiſſe: nec prius illis malis fuiſſe liberatos, quàm ex ſuis decimum quemque hominem immolaſſent. Itaque cum hoc modo decimum quemque hominem è medio ſuſtuliffent, ſacrificariſſentque, illi regioni authores fuiſſe, vt hominum cultu & frequentia penitus priuaretur. Tot miſeriis humanum genus olim vexatum oppreſſumque conſtat. Neque his ſolum grauiter affligi ſatis erat, ſed in ſeruitutem aliis penè infinitis calamitatibus redactum fuit. Nam gentes totius orbis terrarum, tam Græcæ quàm Barbaræ, velut vi & poteſtate dæmoniaca ad furorem incitata, graui & acerbis ſeditionis morbo conſictati fuerunt: adeo vt nuſquam humanum genus, vel ſocietatem coire, vel ad concordiam reduci poſſet. Quippe hic illicque ingens totius humanæ

EVSEBII ORATIO

natura quasi corpus membratim distractum: homines ab ho-  
minibus discordia in singulis terræ angulis disiuncti: ob va-  
rias legum & rerump. formas inter ipsos ad dissensionē in-  
flammati: quinetiam immanitate efferati, crebris inter ipsos  
seditionibus exarserunt: sic vt perpetuo per totam vitā mu-  
tuas pugnas & bella exercerent: neque cuiquam integrum  
ac tutum esset iter aliquo suscipere, nisi armis: sicut inter  
hostes euenire solet, se firme obtexisset. Nam agricolæ in  
agris & vicis gladiis cincti incedere, & arma potius, quibus  
munirent sese, quàm instrumenta quibus terram colerent,  
possidere consueuerunt: præterea prædas agere, & vicinos  
subiugare, virtutis loco ducere. Porro autem fabulis, quas  
de suis diis confinxerant, tanquam ansa ad vitam flagitiosæ  
& nefariè degendam, sibi arreptis omnibus intemperan-  
tiæ generibus, non corpora modo, sed etiam animos infe-  
cerunt labefactaruntque. Neque satis habebant hæc ad-  
mississe, sed extra naturæ fines egressi, longius procedere, in-  
fandaque scelera atque adeo auditu increbilia inter ipsos  
mutuo-tumulentorum more, patrare cœperunt. Masculi e-  
nim in masculos (vti sacræ loquuntur literæ) turpitudinem  
operati sunt, & mercedē quam oportet, erroris sui in semet-  
ipsis receperunt. Neque ita finem nequitiae imposuerunt, sed  
notiones etiam de Deo naturaliter in animis insitas peruer-  
tentes, omnia in huius vniuersitatis complexu cõtenta, nec  
prouidentia, nec vllius moderatoris nutu regi censuerunt,  
Sed vniuersi coagmentationem constructionemque naturæ  
cuidam temerariæ & fortuito agitata, atque adeo fatali ne-  
cessitati attribuerunt. His accedit, quod animos vna cum  
corporibus flagitiorum maculis inficiēdos dedentes, vitam  
feram, agrestem, & haud vitalem degerunt. Nam nec animi  
naturam perscrutari, nec diuini iudicij sententiam expecta-  
re, nec præmia virtutis, nec iniustæ vitæ supplicia, animo cõ-  
plecti aliquando aggressi sunt. Iam verò & integræ natio-  
nes multiplicibus vitiorū generibus contaminata, vita bel-  
luarum more acta contabuerunt. In quibus, nonnulli com-  
plexus nefandos ac sceleratos cū matribus commiscere so-  
lent: alij sorores in matrimonium ducere: multi suas ipsorū  
filias violare: non pauci peregrinos, qui ad ipsos aduentau-  
rant, obtruncare: quidam humanas carnes comedere: com-  
plures

Roma. 1.

complures eos, qui exacta ætate erant, primum laqueo stragulare, deinde eorum carnibus vesci: alij deniq; suos adhuc viuos canibus laniandos obijcere. Tēpus quidem certe me deficeret, si omnia mala veteris & grauis illius erroris, quod vniuersum humanum genus implicatum tenebatur, percensere conarer: quippe cum sint alia infinita his plane similia. Quibus benignus Dei sermo cōmotus, Gregis rationis participis qui ex hominibus constat misericordiam capere cœpit, & iam olim per prophetas suos, & longe ante eorum ætatem per alios pios viros, & post etiam per nonnullos, qui præ cæteris illustres erant, eos, qui desperati fuerunt, ad animi sanitatem restituendos curauit: ac partim legibus, partim variis hortationibus, partim doctrina cuiusq; generis, pietatis principia & semina in animis hominum in seuit. Verum, cum mortale genus ita errore huc illucq; vagaretur, & sic crudeliter esset non à lupis & feris immanibus, sed à dæmonibus & diris spiritibus, qui animum labefactant, discerptum: vt non humana ope & facultate curari posset, sed adiutore, qui longe supra hominem putandus est, egere videretur, deinceps ille Dei sermo clementiss. patris voluntati obsequens, lubens admodum in mundum venit, & in nostræ naturæ, quasi castra ingressus est. Causa autem cur in orbem terrarum descenderit, fuere res illæ supra demonstratæ: ob quas quidem cum mortalibus in colloquium & congressum venire non est dedignatus. Neq; profecto hoc præstitit, quod ei illud facere in more positum fuerat (quippe qui & corpore vacet, & per vniuersum mundum occulta quadam vi peruadat) sed vt nō modo operibus cælestibus, verumetiam miraculis in terra editis suam eximiam potestatem patefaceret, & communem naturæ consuetudinem noua quadam & inusitata immutaret. Nam per corpus mortale sermones cum mortalibus & vsum vitæ habuit: eo plane consilio, vt quod erat mortale, per suum simile saluū posset efficere.

**V**erum deinceps quid causæ fuerit, cur Dei sermo, qui expers corporis est, corpore velut instrumēto vsus, ad cōgressus & colloquia cū hominib<sup>9</sup> faciēda venerit explanare aggrediamur. Atq; quia alia ratiōe diuina essentia, quæ ex

EVSEBII ORATIO

nulla materia concreta est, neque sub tangendi cernendive  
 sensum cadit, his qui Deum in rebus, quæ ortum habent,  
 quæque in terra gignuntur, conquirunt, se ipsa poterat o-  
 ostendere: præsertim cum aut noluerint, aut non potuerint,  
 omnium rerum parentem & effectorem aliter, quam huma-  
 na figura ac specie præditum intueri. Quocirca corpore,  
 mortali tanquam instrumento assumpto, eoque ad eam rem  
 valde accommodato, cum mortalibus in congressum venit.  
 Et quoniam istud illis gratum iucundumque fuit, (similia e-  
 nim, quod aiunt, similibus gaudent) qui videlicet aspectu  
 rerum sub sensu subiectarum delectantur: quique in simu-  
 lachris & inanimarum statuarum celaturis deos perscrutan-  
 tur: inque concreta materia & corporibus, diuinum numen  
 inesse cogitatione informant: atque adeo homines morta-  
 les deorum appellant nominibus: idcirco Dei sermo in e-  
 iusmodi forma se hominibus ostendit. Quare corpus, ve-  
 lut templum sanctissimum sibi comparauit, quod quidem  
 & domicilium est sensibus præditum, in quo ratio inhabi-  
 tat, & augustum & sacrosanctum simulachrum est, omni sta-  
 tua inanimata longe præstabilius. Nam hæc effigies est ex  
 materia inanima conflata, sordidorumque artificum manu  
 in speciem quæ ex ære, ferro, aut ex auro eboræve, aut ex la-  
 pide, aut ligno constat, fabricata, estque domicilium demo-  
 nibus plane aptissimum. Illud autem diuinum simulachrum  
 eximia diuinæ sapientiæ facultate artificiose constructum,  
 variisque distinctum ornamentis, cum vitæ, tum essentiæ mente  
 sola comprehensæ particeps est: simulachrum inquam omni vir-  
 tute præditum: simulachrum, in quo Dei sermo domiciliū  
 collocauit: sanctū denique sancti Dei templum, in quo Dei  
 sermo inhabitans, cum mortalibus per instrumentum ipsis  
 cognatum, & versatus est, & se notum reddidit. Neque ani-  
 mi corporisve affectionibus ab illis discrepauit: neque cum  
 corpore eo modo, quo animus humanus, colligatus fuit:  
 neque ipse seipso factus deterior, diuinitatem suam immu-  
 tauit. Nam vt solis radij, qui omnia sua luce complent, qui-  
 que corpora mortua impuraque contingunt, nihil inde ca-  
 piunt incommodi: sic Dei sermonis vis multo magis, quæ  
 corpore caret, sua essentia nihil patitur, nihil sentit damni,  
 imo ne tum quidem cum corpus attingat (quippe quæ  
 corpo-

corporis expers sit) vlla ex parte aliquando imminuitur.

Ad hunc modum itaque communis omnium seruator per instrumentum humani corporis, quo se circumdedit, se beneficium omnibus præstitit & salutarem: non aliter sane quam musicus, qui suam in arte peritiam per Lyræ declarat. Orphæus, vt in fabulis Græcorum est, omnia ferarum genera cantu permulcere, & instrumenti fidibus plectro percussis, belluarum immanium furores mitigare potuit. Quæ res à Græcis & passim decâtatur, & vera esse creditur: quod scilicet lyræ inanimæ cõcentu tum feras mansuescere, tum arbores quæ fagi vocantur, musicæ suauitate delinitæ, situs suos mutare solent. Eodem modo igitur sapiētissimus Dei sermo, cuius vi ac potestate omnia continentur cohærentq; animis hominum, omnibus vitiorum generibus oppressis, varias curationes adhibere, *ἄνθρωπον* & humana natura, tanquam instrumento musico à sua ipsius sapientia fabricato, in manus arrepta, cantilenas & quasi incantationes animantibus non expertibus rationis, sed eiusdem participibus occinere cœpit: omnesq; feros mores tam Græcorum, quam Barbarorum, omnes etiam agrestes & immanes animorum perturbationes, salutaribus caelestis doctrinæ medicamentis sanauit: ægrisque animis, qui diuinum numen in ortu rerum, & corporibus peruestigabant, Deus humano corpore conclusus, velut medicus facile præstantissimus, cõgruenti & apposito remedio opem tulit. Deinde etiam non minus corporum quam animorum saluti prospiciens, miracula omnium opinione maiora, & virtutes diuinas portentiq; similes, quæ oculis corporeis cerni poterant, edidit: doctrinam quoque & præcepta, quæ & ore protulit, & ipse in corpore sedulo excoluit, hominum inculcauit auribus.

Omnia denique sumpta humana natura hominum causa executus est, qui non alia ratione, quam ea sola eius diuinitatem percipere intelligereque potuerunt: inque omnibus hisce, patris voluntati & consilio inseruiuit: & nihilominus tamen secretus ab omni materia concretioneq; mortali, mā sit, sicut iam ante apud patrem fuerat. Neque eius essentia vlla ex parte commutata, neque obscurata natura fuit, neq; corporis vinculis constrictus tenebatur, neque ibi solū verfabatur, vbi corpus humanum, quod sumplerat adfuit, sed

EVSEBII ORATIO

eo ipso tempore, quo inter homines vitam degebat, res vniuersas compleuit, & cum patre presto fuit, & in illo fuit: atque adeo rerum omnium, tum quæ in celo, tum quæ in terra sunt, omnino tum curam gessit: neq; quicquam ei obstabat, quod quidem nostræ naturæ accidit, quo minus tum vbiq; præsens adesset: neq; à diuinis muneribus, quæ obire solebat, fuit auocatus: sed quædam humanæ naturæ quam induerat, exequenda tradidit, alia ipse ex se nullo vicissim mortalis naturæ subsidio vsus, perfecit: & licet diuinâ facultatem & vim mortali corpori impertiit, ipse tamen ex eo participando nihil cõtra accepit. Nam neq; cum corpus, quod assumpsit, editum esset, quicquã cõtraxit labis: neq; rursus cū quod mortale erat, esset ab eo diremptum, quicquam essentia sua (erat enim nõ patibilis) perpeffus est: quandoquidẽ neque lyra forte fortuna percussa, si chordę, quæ fragiles sunt, rumpatur, eum qui illam pulsarit, quicquam pati probabile est: neq; cū sapientis alicuius corpus cruciatum subeat, sapientiam, quæ in ipso est, aut animum, qui in corpore habitat, vel secari, vel vri quisquam profecto dixerit: eodẽ modo de virtute ac potetia sermonis dei dici consentaneum est, imò vero multo magis certe, quòd ex corporis affectionibus nihil plane damni cõepit. Neq; enim (exẽpli gratia) lucis, quæ apud nos est, splendentes radios, cum de celo in terram demissi sunt, & lutum, cænum, ac sordes cuiusq; generis contingant, vlla labe infici accidit. Nam tametsi nihil prohibet, quo minus has res lucis splendore illustrari verè dicamus, tamen lucẽ ipsam vicissim ab illis contaminari aut solem ex corporum admistione maculam vllam contrahere non dicimus. Et tamen si in his rebus illud eueniret, non videretur à natura alienum. Verũ quancunq; rem seruator & Dei sermo, qui corpore vacat, qui ipsa vita est, qui ipsa lux est sola mente percepta, sua diuina potentia, quæ est corporis expers, attigerit, eam viuere, & luce illa, quæ est rationis particeps, ætatem degere necesse est. Itaq; quodcunq; ab incorporeo Dei sermone tactum sit, illud ipsum sanctimonia luceq; cõpletur, atq; adeo omni morbo, egrotatione, & perturbatione penitus liberatur. Rursus ea, quæ priuantia dicuntur eius diuina vi itidem complentur. Quocirca vniuersum suæ vitæ cursum ad hunc modum confectum constat,

stat,



stat, nonnunquam in corpore se pari ratione nobiscum affectum ostendendo: saepe etiam se Deum verbum declarando, dum magna & incredibilia opera edebat, vt Deus: resq; futuras predicabat: & sermonem Dei, qui à multis non cernebatur, reuera per mirabiles res gestas, per miracula & signa, per virtutes, quæ omnem opinionem longe superabant, per diuinam suam doctrinam, quæ animos hominū impulit, vti se ad domicilium cæleste incolendū pararent, manifestò commonstrabat.

**Q**uid iam restat, nisi vt causam illius quod caput est omnium, qualis nam fuerit, finem dico vitæ illius, qui est tam crebris hominum sermonibus celebratus, & passionis præterea modum, ingens etiam post mortem resurrectionis illius miraculum, deinceps oratione prosequamur? Quibus expositis, omnia euidentissimis testimoniis certa veraq; esse confirmabimus. Mortalis quidē corporis instrumento, ob eas causas, quas ante cōmemorauimus, tanquā diuino simulachro vsus, eo ipso humanæ vitæ rationem, non aliter quàm præpotens rex sua sensa per interpretē explicare solet, euidenter expressit: omniaq; prout diuinæ suæ potentia decus postulabat, transegit. Quòd si post vitam inter homines traductā, ex occulto & de repente se hinc subduxisset, suumq; interpretem (corpus dico) clā è medio remouisset, atq; adeo dedisset operam, vt simulachrum suum fuga mortem effugere potuisset: postremò mortale illud, quod susceperat, ipse per se, & quasi sua ipsius sentētia, internecioni & morti addixisset, spectrum omnibus certe visus fuisset, etiam tum, cum ea, quæ esset sibi congruentia & accōmodata, peregisset. Quineriā si, cū ipsa vita esset, cū Dei fermo ac potentia esset, suū ipse interpretē è medio penitus sustulisset, neq; res ab eo per dimicationē cū morte susceptā cōtra demones gestæ eū exitū, quæ meruerāt, habuissent, neq; exploratè cognitū fuisset, quo se recepisset, neq; ipse apud illos, qui eum minime oculis aspexissent, fidem habuissent, neq; natura sua mortem superasse visus fuisset, neq; quod mortale erat, à sua in aliam naturā vindicasset, neq; per vniuersum orbē terrarū sermo de eo percrebuisset, neq; suos docuisset discipulos mortem cōtemnere, neq; illorū animis, qui eius doctrinā cōsectantur, spem vitæ post mortē apud Deū futurā iniecisset,

EVSEBII ORATIO

neque promissa, quæ in verbo suo continentur, perfecisset: neque ea, quæ erant à prophetis de eo prædicta, sicut consentaneum erat, expleuisset: neque nouissimum denique omnium certamen, quod contra mortem susceptum erat, confecisset. His igitur de causis quia oporteret mortale corpus post ministerium cumulate expletum, quod in verbo diuino prædicatio obierat, exitum in primis habere gloriosum, mortis perpersio ad hunc modum, proinde ab eo administrata fuit: Nam cum duæ rationes exeundi è vita sibi reliquæ essent, Vt vel totum quod in eo mortale erat, interneccioni & exitio penitus traderet, & ita turpissimum vitæ, tanquam totius fabulæ exitum conficeret: vel vt se mortis victorem eo ipso, quod erat mortale, diuina vi ac virtute in immortale commutato, plane ostenderet: prior quidem certe ab eius promissione fuit omnino aliena. Etenim vti neque ignis proprium est refrigerare, neque obscurare lucis, ita neque vitæ mortem inferre, neque verbi diuini aliquid absurde & contra rationem efficere. Itaque absurdum plane fuisset, vt qui esset aliis vitam pollicitus, suum ipsius corpus in nihilum recidere sineret: suumque simulachrum ad interitum daret: & qui his, qui ad ipsum confugiunt, immortalitatem promississet, suæ diuinitatis interpretem, morte deleri pateretur. Quare ratio posterior fuit omnino necessaria: nimirum vt se mortis victorem ostenderet. Atqui quo pacto tandem erat istud præstandum? Clam ne & ex occulto, an vt omnibus euidenter admodum & manifesto pateret? Quod autem ab eo præclare gestum fuit, quemadmodum si in occulto ac tenebris latuisset, neminique fuisset cognitum, nihil certe profuisset cuiquam: sic palam quasi cõclamatum, & omnium inculcatum auribus, omnibus propter eius admirabilitatem, multum vtilitatis ac commodi apportauit. Proinde quoniam necessarium erat, vt corpore suo mors euinceretur, idque non abscondite, sed in hominum oculis fieret: Idcirco merito mortem neutiquam vitauit ille quidem (re vera enim si vitasset, timidus habitus fuisset, & à morte deuictus) sed per confictionem cum morte, velut cum aduersario susceptam, quod erat mortale, immortale reddidit. hoc certamen pro omnium vita, immortalitate, & salute subiit. Quemadmodum si quis vas esse quoddam, quod  
neque

neque incendio cremari, neque igni absumi possit, demonstrare vellet, non aliter eo hominibus excitaret admirationem, quam ut illud ipsum primum in ignem conijceret, deinde ut idem ipsum inde eximeret, saluum & integrum. Sic omnium rerum conseruator, Dei sermo, cum corpus mortale, quod ad hominum salutem sumpserat, & morte valentius esse ostendere, & suæ vitæ atque immortalitatis participes vellet efficere, prouida quadam & percommoda in ea re solertia, & ratione usus est: ac primû illud ad exiguum tempus deseruit, tradiditque morti interimendum, quo eius natura satis perspecta & explorata esset: deinde neque id ita multo post, illud ipsum à morte eripuit: quò diuinam suam potentiam, qua æternam vitam ab ipso annuntiatam omne mortis genus posse vincere monstrat, omnium oculis subiiceret ad contuendum. Quæ quidem causa tam perspicua est, ut neminem possit latere. Nam cum necessarium esset, ut discipuli manifestam vitæ post mortem regenerationem oculis cernerent (in ea enim spem suam reponere docuit, quo eos mortis efficeret victores) hanc rem non sine causa ante illorum oculos statuit ad contemplandum. Nam cum aliis qui sunt vitam piam traducturi, hoc regenerationis specimen primum omnium, quasi sub aspectum cadere debebat necessariò: tum illis maxime, qui essent quamprimû eum in vniuerso orbe terrarum prædicaturi, Dei que cognitionem, quam ipse ante in gentes sparsisset, omnibus hominibus annuntiaturi. Quibus de vita post mortem futura debebat esse persuasissimû, ut metu ac formidine mortis profusus ex animis eiecta, dimicationem contra Gentilium errorem in multis diis colendis positum, alacri ac prompto animo susciperent. Nam nisi mortem contemnere secum fuissent antea commentati, nunquam ad tam graues cruciatus subeundos parati instructique fuissent. Quocirca eos contra mortis vim ac potentiam non præcepto solum verbis ac vocibus tradito, armauit, neque ut humana dicendi ratio fert, sermonem de animi immortalitate ex probabilibus verisimilibusque compositum instituit: sed Trophæa contra mortem erecta illis re ipsa commonstrauit. Ista igitur præcipua causa fuit dimicationis à seruatore nostro contra mortem susceptæ. Nam mortem, qui omnibus terrorem solet

EVSEBII ORATIO

incurere, discipulis suis ostendit nullo loco numerandam esse: atque vitam, quam promiserat, illustri quodam & evidenti viso ante eorum oculos proposuit: quam quidem quasi primitias efficit, tum communis nostræ spei, tum vitæ, quæ nobis apud Deum recondita est, tum denique immortalitatis. Altera autem causa à mortuis resurgendi fuit, ut diuina vis, quæ in eius corpore erat conclusa, perspicue declararetur. Nam quoniã homines, eos qui erant mortales & à morte deuicti, antea in deorum numerum retulerant, & illos, quos morte superatos contabat, heroes & deos appellauerant, ob eam causam benignus Dei sermo etiam in ea re se, quinam esset, ostendit, hominibusq; patefecit suam naturam morte longe potentiorum esse. Atq; non modo post dissolutionem animi à corpore, quod mortale erat, ad alterã traduxit vitã, sed trophæum immortalitatis contra mortem cunctis ad aspiciendum proposuit: eumq; solum ac verum Deum docuit agnoscendũ, qui per mortem præmia victoriæ etiam contra mortẽ reportauit. Quinetiam tertia causa de morte seruatoris adiungi poterit. Hostia quidem fuit pro vniuerso hominum genere Deo patri omnium moderatori oblata: hostia pro grege rationis particeps immolata: hostia, quæ omnem errorem in dæmonibus colendis constitutum profligauit. Nam vna illa hostia, & egregia victima sacrosancti corporis seruatoris nostri pro humano genere mactata, & redemptione pro animis omniũ Gentiũ, quæ ante errore colendorũ dæmonum districti tenebantur, persoluta, omnis in posterum impurorũ & sceleratorum dæmonũ vis ac potentia profus deleta fuit: omnisq; veteratoria fraus, quæ in terris oberrabat, vi valentiore fracta ac debilitata concidit. Itaq; istud salutare miraculũ in hominũ conspectu editum fuit: hoc est, verbi diuini corpus pro vniuerso grege rationis cõpote oblatum: hæc q; victima morti obiecta: de qua sacræ literæ memorãt, vno in loco his fere verbis: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mudi: in alio autẽ, sic loquuntur: Tanq; ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tradente se, sine voce: quinetiam causam ad hunc modum docent: hic peccata nostra tulit, & pro nobis dolores perpeßus est: & nos reputauimus eũ esse in labore, & in plaga, & in afflictione. Ipse autẽ vulneratus est propter peccata nostra, & at-

tritus

*Ioan. 1.  
Isaie 53.*

tritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eū, & liuore eius sanati sumus. Omnes quasi oues errauimus: vnusquisq; in viā suam errauit, & Dominus tradidit eū peccatis nostris. Mortale igitur diuini verbi corpus his de causis immolatū constat. Iste magnus pōtifex, Deo patri omniū duci & imperatori consecratus, qui præterquā quòd hostia fuit, Dei præterea sermo, Dei virtus, Deiq; sapientia fuit: quod in eo mortale erat, à morte breui reuocauit, idēq; ipsū patri, tanquā primitias cōmunis omnium salutis obtulit, idē trophæū etiam vere triumphale contra mortē, & dæmonū impetum statuit: eodemq; vetera sacrificia, quæ ab hominibus offerri solebāt, profligauit: idē deniq; omnium hominū causa excitauit à mortuis. Verū cū hæc ita se habeant, tēpus eo nos vocat, vt deinceps eadē certis argumētis cōfirmemus. Quod si istarū rerū veritas demōstratione egeat, & testimonia quæ pro illis allata sunt, argumētis etiā eui dētibus roborāda sint, sic accipite, orationiq; benignā facite audientiam. Priscæ gentes vniuersæ, quæ ætatē degebant in terris erāt diuisæ, atq; adeo vniuersum humanum genus in prouincias, in nationū & locorū præfecturas, in tyrannides, & multiplices principatus distributū. Vnde pugnae & bella continua, vnde depopulatio, & seruitus tā in agris, quàm in urbibus nunquā eos affligere desierūt. Vnde infinita ad historias scribēdas argumēta: vnde adulteria & raptiones mulierum: vnde clades Ilij: vnde deniq; veterū tragediæ, quæ omniū celebrātur sermonibus. Quarū rerū causas si quis errori illi in multis dijs colēdis posito ascribat, nō plane aberrauerit. At posteaquā salutare instrumentū, hoc est sanctiss. Christi corpus, quo viso oīs error in colendis dæmonibus, oīsq; eorū vis & potestas prostrata iacuit: quod etiā ab omni vitiositate, quæ vel in factis, vel in verbis cernitur, vacuū fuit & liberū, & quo victoria & trophæū cōtra vetera mala reportatū, tāquam propugnaculū aduersus dæmones erectū fuit, confestim non modo oēs dæmonū molitiones & conatus penitus compressi, verumetiā locorū præfecturæ, multiplices principatus, tyrānides, & populares potestates, depopulationes præterea & obsidiones tā in ciuitatibus, quàm in agris inde ortæ, nō amplius dominatę suut, sed tū De⁹ vnus inter oēs prædicatus, tū imperiū vnū, Romanorū dico, apud omnes

EVSEBII ORATIO

omnes viguit. Atq; subito crudele gentiũ inter ipsas odiũ,  
 quod à multis seculis durauerat, neq; vnquã placari pote-  
 rat, sublatum fuit. Et sicut vnus Dei cognitio, vnus piæ  
 religionis modus, vnaque salutaris Christi doctrina omni-  
 bus tradebatur hominibus: sic cum vnus imperator vniuer-  
 sã Romanorum ditioni vno eodemq; tempore esset præ-  
 festus, tranquilla pax vbiq; regnauit. Neque id solum, ve-  
 rumetiam vno temporis momento, velut vno diuino man-  
 dato, duo bonorum quasi germina ad hominum utilitatem  
 pullularunt, Imperium Romanum, & doctrina pia. Nam  
 ante illud tempus, alij regnum Syrię separatim occupabant:  
 alij Asię potiebantur imperio: Alij Macedonijs præerant.  
 Aegypti alij seorsum tenebant gubernacula: Arabiam i-  
 ridem alij regebant: Palæstina in Iudæorum ditione & po-  
 testate fuit. In singulis pagis, ciuitatibus & locis homines  
 furore perciti, cædes mutuas facere, alius in alium reuera  
 insanire, bella & pugnas assidue exercere soliti fuerant.  
 Verum omnes istæ contentiones duabus eximijs potesta-  
 tibus, tanquam ex vnis eisdemq; carceribus in certamen  
 egressis, pacatæ, & ad concordiam adductæ fuere: quarum  
 altera fuit imperium Romanum vnus nutu gubernatum,  
 & ex illo cœptum: altera Christi doctrina: quæ duę eodem  
 temporis momento vna efflorescere cœperunt. Atque vt  
 seruatoris nostri potestas multiplices dæmonum principa-  
 tus, & cultus multorum deorum è medio sustulit, vnumq;  
 Dei regnum Græcis, Barbaris, alijsq; omnibus ad extre-  
 mas vsq; terræ oras palam denuntiauit: ita imperium Ro-  
 manum, causis multiplicis principatus iam ante sublatis, ea  
 dominia, quæ oculis cerni poterant, suæ ditioni subegit:  
 seduloq; dedit operam, vt vniuersum hominum genus cõ-  
 sensionis & concordia vinculis in vnum colligaret. Sicut  
 iam permultas sane gentes ac varias in vnum conciliauit,  
 sic non ità multo post, reliquas ad vltimos vsq; orbis ter-  
 rarum fines, illis adiunxit: quippe doctrina salutaris diuina  
 ope & potentia, omnes illas iam ante mansuefecerat, & præ-  
 clare admodum earum animos ad eam rem præparauerat.  
 Istud certe ab iis, qui mentem ad studium veritatis adiece-  
 rint, non autem vt rebus honestis inuideant, illustre mira-  
 culum existimabitur. Nam non solum dæmonum versutia  
 refu-

refutata & repressa est, Verumetiam inimicitia & pugna, quæ inter gentes à multis seculis exercebantur profus restinctæ. Et rursus tum vnus Deus, & vna eius cognitio omnibus prædicata: tum vnum imperium inter homines stabilitum: tum denique vniuersum humanum genus ad pacem & concordiam traductum: adeo vt omnes inter ipsos se fratres esse faterentur, suamque ipsorum naturam mutuò agnoscerent. Etenim tanquam liberi ex vno patre, hoc est ex vno Deo, & ex vna matre, hoc est, ex vera pietate facti, statim pacem inter se amplexati sunt retinueruntque: vt ex illo tempore orbis terrarum vniuersus nihil à familia & cognatione optimis legibus & institutis temperata differret: atque adeo liceret cuique pro arbitrato iter passim facere, & quolibetum erat animo suo, absque difficultate & periculo migrare: & tum eos qui ad occidentem habitabant, tum inde ad orientem contendere: tum contra eos, qui versus orientem accolebant, inde ad occidentem, tanquam ad patriam suam proficisci, ita vt cum alia veterum oraculorum responsa, prophetarum vaticinationes ferè infinitæ, ad quas hoc loco recensendas non satis suppetit ocij, tum istæ vel maxime de salutari Dei verbo expletæ sint, quæ sic de illo prædicant: Dominabitur à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad flumina, & terminos orbis terrarum. & rursus: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Et iterum: conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. *Psal. 71.* *Isai. 2.* Ista quidem sicut olim prædicebantur de seruatore, & Hebræorum vocibus ante multa secula prædicabantur: sic nostris iam temporibus re ipsa expleta cernuntur, veterumque vaticiniorum testimonia confirmant. Quod si alia plura argumenta certiora de illis rebus desideres, ea non verbis, sed rebus ipsis confirmata accipito. Mentis tuæ oculos aperi, rationes quasi fores patefacito, ipse tuum ipsius assensum admodum sustinens, tecum ratiocinare: tu teipsum interroga, & rerum naturam animo accurate peruestigans, tanquam ab altero ita sciscitare: Quis vnquam ab omni seculorum memoria aut rex, aut princeps, aut philosophus, aut legislator, aut propheta, seu Græcus, seu Barbarus ille fuerit, tantum virtutis decus est consecutus,

tus,

eus non dicam post mortem, sed dum adhuc viueret, spiritumque duceret, multumque valeret potentia, ut ipsius nomen ad omnium hominum aures, qui in terris degebant a-  
 tatem, permaneret, inque omnium ore ac sermone versaretur? Nemo certe istud, nisi vnus & solus seruator noster post victoriam à morte reportatam præstitit: qui quidem & discipulis suis hoc verbum dixerat, & idem reuera expli-  
*Matth. 18* uit: nimirum, Euntes docete omnes gentes in nomine meo: quique etiam prædixerat, proque certo præstituerat, suum euangelium prædicandum fore in vniuerso mundo in testi-  
 monium omnibus gentibus: quod ut verbis prædixerat, sic re ipsa perfecit. Nam haud ita multo post totus orbis terrarum eius verbo & doctrina cõpletus fuit. Quid igitur habes tu, qui in initio orationis nos insectari videbaris, quod huic respondeas, præsertim cum testimonium, quod oculis cernitur, omni alia ratione, quæ poterit afferri, facile præpõderet? Verum à priore argumento ad posterius te transferas, velim, & tecum ipse cõsideres: quis post homines natos noxiũ & perniciosum dæmonum genus, quod vniuersam humanam olim depascebatur naturam, & quadam commotione, quæ in statuis ceruebatur, multas inter homines edebat præstigi-  
 as, manu potenti, quæ sub oculorum aspectum non cadebat, velut immanes feras ex hominum grege fugauit auerteritque: quisve alius præter nostrum solum seruatorem, dum inuocaretur, sanctissimis precibus per ipsum Deo patri omnium gubernatori oblatis, his qui vitam integre sincereque ad pietatis regulam ab ipso traditam sectantur, malignorum spirituum reliquias ab hominibus arcendi repellendique potestatem dederit: aut quis alius, solo nostro seruatore excepto, sacrificia rationalia, sanguinisque expertia, precibus & æcana quadam diuinæ laudis celebrandæ ratione, suis discipulis obeunda tradiderit. Qua de causâ tum altaria in toto orbe terrarum constructa sunt, tum augustæ sanctæque ecclesiæ ædificatæ, tum diuina sacrificiorum sola mente & ratione percceptorum ministeria soli Deo omnium moderatori ab omnibus gentibus destinata tributaque. Sacrificia autem sanguine, cruore, & fumo peracta, crudeles etiã illas & furiosas hominum cædes, victimasque, quis vi ac virtute abstrusa illa quidem & ab oculorum sensu remota extinguere adeoque fundi-  
 tus



rus delere potuit, vt gentiliū etiam historiis confirmatum sit, omnem vbiq; hominum sacrificandorum consuetudinē non ante, sed post diuinam seruatoris nostri doctrinam in orbe terrarum diuulgatam, ipsis Adriani temporibus penitus profligatam fuisse. Itaq; cum virtus ac potentia seruatoris nostri post eius mortem ostentata, tam certis & euidentibus argumentis confirmata sit, quis adeo ferreo animo est, qui non veritati tribuat testimonium, diuinamque ac cælestē seruatoris vitā ingenue fateatur? Nam recte & præclare facta non mortuorum sed viuentiū sunt: & res incertæ obscureq; ex euentis percipi & cognosci solent. Nā heri prope & nudius tertius, Genus quoddam tyrannorum bellum cum Deo gerentium orbem terrarum grauiter conturbauit, omnia pro arbitratu fixit refixitq;: multum opibus valuit & potētia: at simul vt ex hac luce excesserat, deinceps terra obrutum, iacuit, ipsis ruderibus abiectus: spiritu, motu, & voce carens: nulla illius habita ratio: nulla mentio facta. Ea enim est verè mortuorum natura, & qui amplius nō est, nullus est: qui autem nullus est, ecquid potest agere? Qui autem in moliendo agendoq; versatur, & plura potest efficere, quam illis quibus adhuc vita suppeditat, quamuis sit ab oculorum corporeorum obtutu disclusus, quid est, cur eum esse desisse existimemus? At neq; eam iudicandi vim, quæ in sensibus insidet, neq; rationes arte constructas, neq; scientiarum præceptiones sensibus corporis percipimus. Neq; mentem, quæ in hominibus inest, nedum Dei virtutē ac potentiam ququam aliquando oculis aspexit: sed res eiusmodi ex ipsarū effectibus solent intelligi. Quapropter vim illam & facultatem abstrusam, quæ in seruatore nostro, est, ex rebus inde effectis consideranda expendendaq;: & vtrum ea præclare facta, quæ etiā adhuc ab illo geruntur, viuētis esse confitendū sit, an dicendū illius esse, qui nō est, an stulta omnino & temeraria hæc questio habēda? Nā ei, qui nō sit, qui possunt cōueniēter & cū ratiōe attribui. Quādoquidē oīm cōsensu & sentētijs cōstat illud quod nō sit, nihil posse moliri agere. Ea enim natura penit' extinctorū est, viuentiū autē cōtraria.

**C**AETERUM hoc loco tempus opportunum se offert, eas res persequendi, quæ nostris temporibus a seruatore nostro gestæ sunt, Dei que viuētis facta, quæ propter  
recen-

EVSEBII ORATIO

recentem ipsorum memoriam quodammodo viuunt, accu-  
rate cognoscendi. Nūquid non viuētis ea esse statuemus.  
At talia tamq̄; egregia facta, & ipsa uiua sunt, & Dei, qui re-  
vera vita uiuit, existimanda. Verūm rogas, fortasse, quānam  
ista sint? Sic igitur accipito. Tyranni quidam cum Deo  
bellum suscipere minime veriti, non ita pridē templa preci-  
bus dicata impetu animi ardentissimo, maximis viribus &  
copiis, concussis illorum fundamentis, diruerunt: ecclesi-  
asq̄; prorsus delere cogitantes, omnibus machinis Deum  
qui oculis cerni nequit, oppugnare, infinitaque verba ple-  
na blasphemiae in eum iacere in torquereq̄; coeperunt. Ve-  
rum ille, qui in occulto latet, occulta quadam vi & recon-  
dita, eorum conatus vindicauit. Nam nonnulli, qui ante  
delicate ac molliter vixerant, putabanturq̄; beatissimi,  
quiq̄; semidei omnium sermone & praedicatione cele-  
brabantur, solo Dei nutu & potentia extincti fuerunt. Alii  
qui multis annorum conuersionibus, praclarē omnia & ex  
animi sententia propterea gesserant, quod erga Deum, con-  
tra quem postea dimicabant, amicitiam & pacem colebant,  
postquam mutata sententia, cum Deo bellum gerere temere  
aggredi sunt, suosq̄; deos propugnatores & defensores no-  
stro Deo ex aduerso opposuerunt, extemplo, vno temporis  
momento, Dei nutu ac potentia, quicum praelium iniue-  
rant, omnes scelerum suorum poenas debitas persoluerunt:  
adeo ut inuiti ei cogerentur, quem oppugnaverant, cedere,  
terga dare, diuinam eius virtutem agnoscere, & admodum  
maturare ut ipsorum permissu contraria illis, qui ante admi-  
serant, decernerentur. Seruator igitur confestim trophaea  
victoriae vbique terrarum erigenda, mundum vniuersum sa-  
cro sanctis templis, augustisque ecclesiarum aedificiis ador-  
nandum in singulis urbibus, pagis regionibusq̄; omnibus,  
atque adeo in desertis Barbarorum locis, aedes sacras & tem-  
pla vni omnium Deo, atque vniuersarum rerum domino  
dedicanda consecrandaq̄; curauit. Vnde etiam templa, quae  
erant ei consecrata, Domini nomen obtinuerunt, quod no-  
men non ex hominibus, sed ex ipso omnium Domino illis  
fuit impositum, & propterea dominica sunt appellata. Iam  
verò aliquis prodeat in medium, atq; nos doceat, quis post  
tantam ruinam vastationemq̄; sacra aedificia à solo in sub-  
lime

lime erexerit: aut quis templa, quorum reficiendorum nulla spes reliqua fuit, posteriore structura, multo illustriora magnificentioraq; quam antea fuissent, reddiderit, eaq; denuo ædificauerat, nō post mortem tyrannorum illorum qui cum Deo bellum fecerant, sed quod dictu prope incredibile est, dum adhuc illis suppetebat vita, qui eadem ipsa diruissent, adeo vt iidem tyranni tum sermone coram habito, tum scriptis facinorum tam impie ab ipsis admissorum palinodiam canerent: idq; adeo præstarent, non cum læticia & voluptate animorum (Sic namq; fortasse aliquis exiltimare posset eos benignitate & clementia inductos illud ipsum fecisse) sed cum plagis & cruciatibus cælitus inflictis ad id faciendum cogerentur. Aut quis post tantas & tam graues persecutionis procellas, atque adeo in maximis, turbulentarum tempestatum fluctibus effecerit, vt in toto orbe terrarum, non viri solum ferè infiniti se totos in studio pietatis ponerent, diuinoq; numini assidue inseruirent, sed etiam sacræ mulierum, quæ virgines permanebant perpetuo, frequentia chorique totum vitæ suæ tempus perfectissimæ castitati dicarent, ipsusq; diuinæ doctrinæ præceptis institutæ, à cibis & à vino abstinentiam atque adeo inediam ad multos dies lubentissimis animis tollerarent: temperantiæq; disciplina instructæ, continenti, severo, & aspero vitæ genere corpus suum coacerent: Aut quis mulieres, & innumerabiles virorum multitudines impulerit, vt corporis alimenta cum rationalibus alimentis, quæ ex sacris literis perlegendis deprompta, animis rationis participibus admodum conueniunt, commutarent: quisve viros barbaros & plane agrestes, mulieres quoque, pueros, & seruorum genera, infinitas etiam infinitarum gentium multitudines docuerit, vt non modo mortem contemnerent, verumeriam animū immortalem esse crederent, vnumq; qui res humanas quasi oculorum obtutu contempletur existere, Dei iudiciū, in quo de piis & impiis lata erit sententia, expectādum, & propterea vitam iuste & temperate traducendam esse. Nam qui aliter an imo affecti sint, non posse vlla ratione pietatis iugum subire: quæ res à nemine hæctenus, præterquam à solo seruatore nostro plene cumulateq; expleta est. Cæterum ista missa faciamus.

EVSEBII ORATIO

**S**equitur ut eum, cuius mens contra veritatē obduruerit, etiam eiusmodi interrogationibus ad eam agnoscedam adducamus, sicq; ab illo sciscitemur. Age tu: vocem ratione & prudentia formatam profer, sententiasq; fructuosas non ex corde stolido ac stupido, sed ex animo mentis & rationis compote promens dicito: Sicq; tecum iterum atque iterum cogitans, loquere. Quis alius vnquam ex numero sapientum, qui ab omnibus seculorum ætatibus in crebro hominum sermone versati fuerint, pari ratione cum seruatore nostro, prophetarum vocibus iam ab initio ante innumerabilia temporum spatia apud veteres Hebræos celebratus, prædicatusq; fuit? Qui quidem & locum, quo nasceretur, tempora aduentus, piam viuendi rationem, virtutes, doctrinam, res præclare ab eo gestas sacrorum librorum monumentis complexi, posteritati tradiderunt? Aut quis scelera contra se admissa tam celeriter, quam ille vltus est? Nā non multo post impium illud facinus in ipsum patratum, vniuersa Iudæorū gens vi quadam & potentia occulta grauiter exagitata fuit: regalis & magnifica eorū ciuitas deturbata excisaq;, & ipsum téplum cū omnibus illius ornāmētis dirutum soloq; æquatum. Quis præter seruatorem nostrum de his rebus, de hominum impiorum exitio, de ecclesia ab ipso in vniuerso terræ orbe fundata, vere appositeq; rerum euentis vaticinationes edidit, easq; re ipsa cōfirmavit? Qui quidem primum de impiorum Iudæorum templo ita locutus est: Relinquetur vobis domus vestra deserta & non relinquetur lapis super lapidem in loco isto qui non destruetur: deinde de ecclesia sua: super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quid tam mirandum tibi videri poterit, quam viros abiectos, & imperitos, in initio à piscatu abducere, eosq; legum latores, doctoresq; vniuersi orbis terrarum efficere? Quid tam eximium ad eius diuinitatem euidenter declarandam, quam non solum promittere se eos facturos pisces hominum, quod uti verbo protulerat, sic re ipsa præstitit, Verum etiā tantam virtutē, tantamq; facultatē illis tribuere, ut monumenta scriptis mandarent, librosq; ederent, iisq; tā magnā apud oēs haberēt & authoritatē & existimationē, ut in oēs tā Barbarorū quam Græcorū linguas, quæ in toto orbe ter-

Matth. 23

Luc. 13.

Matth. 16.

bē terrarū existunt, conuerterentur, omnesq; gentes quæ in toto orbe terrarum existunt, in illis perdiscēdis studium & operam ponerent, proq; certo crederent, diuina eloquia in illis esse tradita compræhensa que? Quid tam diuinū, quàm quod esset futurum prædixisse, discipulisq; præsignificasse, eos in conspectum regum & præsidum deductos fore, graues cruciatus perpeffuros, acerbissima subituros supplicia, idq; non propter aliquod turpe & flagitiosum facinus, sed solum propter ipsius fidei & nominis confessionem? Quid tam incredibile dictu, quàm vt illi ad has res perferendas summa animorum alacritate se prepararent, sicq; armis pietatis se sepirent, vt in certaminibus contra aduersarios initis, animos ipso adamante duriores robustioresq; ostenderent? Quid tam admirabile, quàm vt non modo illi qui eū comitabantur in vita, sed etiam hi, qui eorum erant successores, & rursus qui istorum ætati succrescebāt, quique etiam nostris vixere temporibus, ita vires obfirmarent animorum, vt licet nihil dignum morte commisissent, tamen propter egregiam suam erga Deum vniuersitatis moderatorem pietatem, omnia suppliciorum tormentorumq; genera sustinerent? Quis vnquam regum tam diuturno temporis spatio cum imperio fuit? Quis post mortem tam egregie bellum gessit, tam illustria trophæa contra hostes statuit, omnem locum, regionem & ciuitatem tam Græcam, quàm Barbaram subiugauit, omnes denique aduersarios manu & vi quadam occulta atq; adeo ab aspectu seclusa, in potestatem suam redegit? Et quod caput est eorum omnium quæ iam sumus oratione profecuti, cui ex calumniatorū numero pax illa, quæ per eius potentiam vbique terrarum dominata est (de qua, quæ nobis videbantur necessaria, supra disseruimus) os non penitus obturare possit? Quippe cū eo pacto concordia & consensus animorum inter omnes gētes vna cum doctrina seruatoris nostri, & prædicatione per illum in toto mundo disseminata, cōcurreret, & pax, quæ inter gentes per vniuersum orbem terræ olim à Dei prophetis prædicebatur regnatura, & verbum ab eo gentibus diuulgatum pariter vigeret. Dies ne plane deficeret, imperator illustrissime, si euidētia diuinæ virtutis & potentia argumenta, quæ ex rebus gestis, quæ etiam adhuc cernuntur, intelligi poterūt, in vnum col-

EVSEBII ORATIO

ligere conarer. Nam nemo homo ex omni seculorum me-  
 moria, vel apud Græcos, vel apud Barbaros, tantam diuinæ  
 virtutis vim, quantam seruator noster, vnquam declarauit.  
 At quid hominem dico? cum nullum omnino, ne illorū qui  
 dem, qui apud omnes Gentes pro diis habebantur, talē vim  
 & naturam habuisse constet: aut si constiterit, aliquis, quæso  
 nobis ostendat. Prodeant in mediū oēs philosophi, nobisq;  
 dicant, quis vnquā de Deo aliquo, aut heroe ex omni ætate  
 audiuerit, qui vitæ æternæ, & cælestis regni doctrinam ho-  
 minibus tradiderit, sicut de seruatore nostro exploratū est:  
 qui quidem effecit, vt infinitæ hominum multitudines per  
 totū orbem terrarum piis sapientiæ præceptis institutæ, se-  
 ueram viuendi disciplinam excolerent, illisque persuasit, ve  
 res cælestes confectarentur, & mansiones in cælo diuinis a-  
 nimis reseruatæ sperarent. Quisve Deus aut Heros exite-  
 rit, qui vniuersum mundum ab ipso solis ortu ad occasum  
 vsq; peragrans, imò vero parem & æqualem fere cum sole  
 cursum conficiens, splendidissimis suæ doctrinæ radiis sic  
 eundem collustrarit, illuminaritq;, vt omnes gentes vbique  
 terrarum vni Deo vnum eundemq; cultum tribuerent. Aut  
 quis Deus herosve fuerit, qui omnes deos & heroas, tã Græ-  
 cos, quàm Barbaros, profligarit, lege sanciuerit neminē eo-  
 rum Deum existimandum esse, & sancitum populo persua-  
 serit: deinde cū vnus ab omnibus oppugnaretur, oēs hostiū  
 copias deleuerit: effeceritq; vt ipse sol<sup>o</sup> ex oībus diis & in-  
 clytis heroibus, qui à primis iactis mundi fundamentis ex-  
 titerint, passim ab vltimis toti<sup>o</sup> orbis terræ oris dei filius ab  
 omnibus gentibus appellaretur? Aut quis cunctis totius or-  
 bis terrarum incolis, seu terra seu mari illi sint, præscripserit,  
 vt singulis septimanis in vnum conuenientes, diem domi-  
 nicum festum celebrarent, institueritq;, vt sicut corpora pa-  
 scerent cibariis, sic animos diuinis disciplinis reficerent?  
 Aut quis Deus, siue heros tam vehementer oppugnatus,  
 quàm seruator noster, tam egregia victoriæ trophæa contra  
 hostes constituerit? Nam & hi nullum tempus intermise-  
 runt eius tum doctrinam, tum populum impugnandi, & ille  
 suos familiares afflictatos, ipsaq; pariter templa sacrosancta  
 ab hostibus expugnata ad maximum gloriæ splendore per-  
 ducere nō desit. Sed quid attinet diuinæ seruatoris nostri  
 virtu-

virtutes, quas nullo dicendi genere quisquam consequi poterit, oratione persequi contendere, præsertim cum res inde effecta, etiam tacentibus nobis, in intimas hominum cogitationes quasi voce emissa, se infundant? Atque hoc profecto peregrinum, inauditum, & admirabile est, & vnū quod semel solum inter mortales extiterit, vt homo tam egregia facinora ederet, & qui est reuera Dei filius, quiq; fuit ab omni æternitate, in terris cerneretur. Verum ista, quæ à nobis explicantur, tibi imperator inuictissime, ad audiendum sunt minime necessaria: qui quidem diuinam seruatoris vim ac potentiam adeo sæpe expertus es, teque ipse non verbis, sed rebus ipsis veritatis præconem omnibus præbuiti. Tu igitur, cum otium tibi datum fuerit, si placet, nobis quæso commemores, infinitas easq; diuinas seruatoris, vt ita dicam apparitiones, infinitas etiam secundum quietem visiones, non mysteria illa dico, quæ sunt arcana & à nostra intelligentia remota, sed ea solum, quæ sunt in tuam cogitationem illapsa diuinitus, quæq; vtilem illā & omnibus fructuosam de providentia Dei, qua reguntur vniuersa, doctrinam cōplectuntur. Neq; certe fuerit à tua dignitate alienum oratione persequi, præclara illa & eximia subsidia tibi in bello à propugnatore & defensore tuo, Deo, suppeditata, hostium & insidiatorū exitia ab eo facta, grata in periculis solatia, in negociis arduis & multis obstructis difficultatibus facile expeditionem, benigna, cum esses ab amicis desertus, auxilia, præsentia in rebus impeditis & perplexis consilia, rerum futurarum præsentiam, prouidam ad vniuersi imperij moderationem solertiam, prudentem de rebus incertis & obscuris deliberationem, rerum magnarum arduarumq; susceptione, ciuiles administrationes, sapientem exercituum gubernationem, consultas rerum singularum emendationes, rectas vniuersarum institutiones, perutiles denique hominum vitæ legum sanctiones. Enumeres etiam continenti oratione eorum singula, quæ nobis obscura, tibi autem vni cognita sunt & explorata, eaq; in tua vere regia memoria, tanquam in abdito thesauro custodita: quibus reuera impulsus, istisq; testatis & illustribus potentia seruatoris indicis persuasus, templum velut Trophæum victoriae ab illo contra mortem partū erexisti, omnibus hominibus, tam fidelibus, quam n-

fidelibus ad intuentum proposuisti: augustumq; in ea fan-  
 cti Dei sanctuarium, splendida etiam egregia & magnifica  
 vitæ immortalis, cælestisq; regni monumenta, eaq; impera-  
 toris dignitati admodum cõuenientia & consentanea, quin  
 etiam præclara victoriæ summi omnium imperatoris, serua-  
 toris nostri insignia fabricanda curasti: quæ omnia in illud  
 templum & monumentum resurrectioni Christi per quam  
 certam vitæ immortalis spem animis concipimus dedica-  
 tum, conclusisti, eo plane consilio, vt tum cælestem Dei  
 sermonem, victorem, & triumphatorem regalibus  
 & eximijs formis quodammodo designatum  
 expressumq;, omnibus gentibus osten-  
 deret, tum vocibus clarè & aper-  
 tè tam verbo quàm re ipsa  
 editis elatisq;, , piam  
 & diuinam  
 eius fidei ac nominis con-  
 fessionem passim  
 prædicaret.

**F I N I S.**

[Faint bleed-through text from the reverse side of the page, including the word "FINIS" and other illegible characters.]